CC A10

Engraved title vignette & 246 engravings by de Bry

277/60

HISTORIA

DEORVM

FATIDICORVM:

CVM EORVM ICONIBVS.

HISTORIA

DEORVM FATIDICORVM, VATVM, SIBYLLARVM, PHOEBADVM,

APVD PRISCOS ILLVSTRIVM:

Cum eorum ICONIBVS.

Præpoſita eſt diſſertatio

DE DIVINATIONE ET ORACVLIS.



GENEVÆ,

Sumptibus PETRI CHOVËT.

M. DC. LXXV.

Dn. *** AMICO *Pl. C.*
P. MVSSARDVS S. D.

CVM inter nos incidiſſet nuper ſermo, de variis præſtigiis quibus Cacodæmon miſeros olim mortales faſcinabat; diximus errorem non mediocriter promoviſſe, quod de rebus futuris per oracula, hariolos & ſagas, pronunciare impurus ille ſpiritus attentavit.

Quanquam enim iſta emunctioris naris homines non fecerint flocci; Peripatetici inprimis qui Ariſtotelem ſecuti, Sibyllas, Pythoniſſas; atque adeò Enthuſiaſtas omnes, mente lymphata furere, aut atra bile commotas, nonnulla præſagire credebant: hi tamen erant ſcholarum duntaxat ſuſurri, quos in publicum edere piaculum fuiſſet: quippe perſuaſiſſimum erat vulgo, mulieres eiuſmodi Deo plenas eſſe, ipſumque Iovis vel Apollinis numen, præſens illis adeſſe. Iſtud enim non mediocriter animos percellebat, nec pa-

rum ad Divinitatem accedere videbatur, non modò quæ præſentia ſunt & velut in oculis poſita cernere, ſed eventus futuri caligine obvolutos & procul diſſitos, proſpicere.

Itaque poſtquàm hanc ſententiam ſermonibus aliquot agitaſſemus, operæ pretium facturum dixiſti, qui iſta ſcripto conſignaret; méque ad id audendum exciviſti. Sanè quanquàm id mihi non ſumo, vt aliquid à me expectatione tua dignum, præſtari poſſe ſperem; onus tamen non detrectavi, vel maximè eo nomine vt tibi obſequar; tum etiam vt dum humaniora ſtudia, quibus in adoleſcentia aliquantùm deditus fui, recolo & memoria repeto, operam non omninò inutilem aut ingratam publico navem. Nec me ab inſtituto dimovit, quod ſçio hoc argumentum luculenter à Doct. Boiſſardo fuiſſe pertractatum. Nam & perrarus eſt eius liber, magníque voluminis ac precij; & in non paucis ab illo nunc diſſentiunt Docti, ex quo facem prætulerunt magni Viri, Blondellus, Obſopæus, Voſſius. Nimium enim ille tribuit ſcientiæ

Dæmonum;

Dæmonum ; pſeudepigrapha pro genuinis exoſculatur ; & quæ diu poſt rerum eventus à quibuſdam Chriſtianis , conſilio fortè non malo, ficta ſunt, ea à Sibyllis , multis retrò ſeculis, prædicta eſſe opinatur. Satis multa præterea hîc nova reperient Lectores , vt huius lectionis eos non pigeat. Commodùm verò offendi in Bibliopolio *D. Petri Chouët*, (hominis promovendæ rei literariæ cupidiſſimi) varias effigies, æri ſatis eleganter inciſas, Deorum , Vatum , Sibyllarum , & Phœbadum, quæ huic opuſculo illuſtrando non parùm conducent.

Rem totam hoc ordine diſpoſui. Præmiſi brevem diſſertationem de Divinatione & Oraculis, déque variis modis quibus Dæmones futurorum præſcij eſſe poſſunt. Tum ſubjeci hiſtoricam narrationem Deorum & Vatum , in qua quæ de iis maximè memorabilia produnt veteres Scriptores , propoſui. Tu hunc qualemcunque conatum , æqui boníque conſulito , méque tui amantiſſimum amare perge. Vale.

DE RERVM FVTVRARVM *PRÆCOGNITIONE,* Vaticinatione, & Oraculis.

COGNITIONEM & rerum futurarum prædictionem, vnius Dei ius præcipuum eſſe, omnes conſentiunt. Hinc fit vt vulgò ἔνθεοι, *i.e. Divini* appellentur, qui futurorum profitentur ſcientiam; quia quod ſibi arrogant, tanto intervallo ſuperat ingenij humani captum, vt prorſus ignoretur ab ijs qui non ſunt θεοδίδακτοι. Eſſe tum in rebus naturalibus, tum in moralibus, quædam futurorum eventuum præſagia, nemo diffitetur; qualia ſunt de quibus Chriſtus Matthæi 24. *Quum ramus teneraſcit & folia germinant, noſtis propé*

eſſe æſtatem. Item Matth. 16. *Quando ſerum eſt diei, dicitis, Serenitas erit, rubet enim cælum.* Poſſunt ſanè homines, multòque magis Dæmones, coniectura augurari multarum rerum eventus, ex earum indicijs quaſi prodromis. Ejuſmodi ſunt omnes illæ prædictiones quibus ſibi famam compararunt Pſeudoprophetæ apud Ethnicos & Mahometanos, aliiq; omnes qui vel ſolis ingenij viribus, vel impulſu Cacodæmonum inſpirati ſunt. Verùm vnius Dei eſt, ea prænoſcere quæ non à naturæ ſtatis legibus, ſed à voluntate ſua, aut libero hominis arbitrio pendent; vt myſteria ſupernaturalia, nec-non gubernationes & mutationes Regnorum ac Rerumpublicarum, (ſunt enim corda Principum in manu Dei, qui ſolus illa verſat vt libet;) Item quæ pendent ex arbitrij humani libertate; vt quid cras ſim facturus vel cogitaturus. Solus, inquam, Deus ea prænoſcit ab æterno, ſoluſq; per Prophetas prænunciare poteſt; idque non aliquot menſibus aut annis, ſed innumeris ante eventum ſeculis, cùm nullæ cauſæ aut veſtigia animadvertebantur; nec obſcurè aut titubanter, ſed claris& apertis verbis.Ideóque hoc ſibi vni vindicat apud Eſaiam, vbi de eiuſmodi prædictionibus

nibus verba faciens, iubet iſtâ notâ explorari Deos Paganorum: *Annuntiate*, inquit, *quæ futura ſunt, & ſciemus quod Dij eſtis*. Dum enim illos ſic prouocat, clarè oſtendit iſtam quam illis denegat, ſibi vni competere præſcientiam. Hoc, ſolo naturæ lumine agnouerunt Ethnici, ***Si enim homines quoque res omnes poſt futuras præcognoſcerent***, inquit Fauorinus apud Gellium, *tollitur quod maximè inter Deos & homines differt*. Gell. l. 14 c. 1. Ac ſanè, vtcunq; Vatum prædicta, & commentitiorum Deorum oracula iactauerint Gentes, nulla tamen, ſi ad hanc normam exigantur, genuina comperies. Dederunt ſcilicet conſilia ambigua, & reſponſa perplexa ac dubia, ſuper pugnæ alicuius eventu; ſuper excidio Imperii cuiuſdam vel Reipublicæ; morte aut ſanatione ægroti, aliiſque eiuſmodi caſibus, quorum prognoſtica in cauſarum proximarum diſpoſitione, Dæmonibus cernere promptum erat. Sed nullum legas qui ante quingentos aut ſexcentos annos, eventum aliquem clarè & certò prænunciauerit. Solius Dei eſt, & eorum quibus eius Spiritus lumen affulſit, in abdita ſeculorum penetrare, & futura eadem perſpicuitate & certitudine, ac ſi præſentia aut præterita eſſent, enunciare.

Vnde patet Veteris & Noui fœderis Scriptores, non à ſpurijs iſtis & fictis Diis, qui Gentibus impoſturis ſuis illuſerunt, afflatos eſſe; ſed à ſummo & vero illo Deo qui ſupremus eſt Dominus ac Moderator omnium temporum & partium Orbis, cuiuſq; ſcientia & eſſentia ſunt infinitæ. Diuini enim hi Authores, innumera prædixerunt, quæ neque acies mentis humanæ, neque Dæmonum ſagacitas pervadere valebat: Exempli gratia, ortum & futuram ſortem multorum virorum ac Imperiorum, fraudes Hæreticorum, Antichriſti impoſturas, ſuperbiam ac furores, aliaq; innumera; quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo &c. ſeculis ante euentum.

Meritò itaque Moſes dehortatur populum, ne credat Pſeudoprophetis qui eum auocare ſtudent ad Deos alienos, etiamſi contingat vt ea quæ prædixerunt reverà eveniant; *Quia Deus id permittit quò nos probet an ipſum timeamus*; Monetq; *ne quis diſcat Aſtrologiam, aut ab Aſtris ſibi timeat, quæ ſunt vanæ leges infidelium.* Quanquam enim in præviſione futurorum non ſemper fallantur Dæmones eorumq; Miniſtri, ſemper tamen eò dirigunt ſua vaticinia, vt fallant, & homines ab vnius Dei legitimo cultu

cultu avocent, atque ad ſe alliciant.

Verùm quanquam ſolus Deus ex ſe & per ſe, omnia futura cognoſcit, eaq; certò prædicit; Satan tamen eius operum æmulus, mirè miſeris mortalibus illuſit reſponſis ſuis, quibus illis plurima eventura prænunciavit, quorum nonnulla evenerunt. Vt cùm Theagenes Mathematicus, Octauio prædixit imperium, tanta fiducia, vt ſtatim atque genituram ſuam illi Octauius edidit, exiliverit Theagenes, eumq; adoraverit. Eiuſmodi fuit prædictio Traſylli, qui mortem ſibi inſtare Tiberio dixit, quam reverà hic illi, re cum nullo communicata moliebatur. Tale præſagium ipſius Tiberij de Sergio Galba tum Conſule, quem accitum, vt verbis Taciti vtar, & diuerſis ſermonibus pertentatum, poſtremò verbis Græcis in hanc ſententiam allocutus, *Et tu Galba quandoque deguſtabis imperium*; ſeram ac breuem potentiam ſignificans, ſcientia Chaldæorum artis, quam à Traſyllo magiſtro habuit. (Suetonius hoc præſagium non Tiberio, ſed Auguſto tribuit; nec de Galba Conſule, ſed puero. Verùm à Tacito ſtant Ioſephus & Dio.) His ſubnecti poteſt Aſcletarionis vaticinium, qui Domitiani proximam cædem prædixit, de

Suet. in Auguſt. c. 94.

Tac. Ann. 16

Dio lib. 55.

quo Suetonius : *Hunc*, inquit, (Aſcletarionem Mathematicum) *delatum, nec inficiantem iactaſſe ſe quæ providiſſet ex arte ; ſciſcitatus eſt Domitianus quis ipſum maneret exitus, & affirmantem, vt brevi laceraretur à canibus ; interfici quidem ſine mora, ſed ad coarguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſimè imperauit. Quod cùm fieret, evenit vt repentina tempeſtate deiecto funere, ſemiuſtum cadauer diſcerperent canes.* Addi poſſent alia exempla eorum, quibus ſummæ dignitates prædictæ ſunt ab Oraculis & Aſtrologis.

Hîc igitur obſeruandum, futura bifariam cognoſci poſſe, aut in ſe ipſis, aut in ſuis ipſorum cauſis. In ſe ipſis cognoſcuntur, cùm perinde certò prævidentur quæ nondum ſunt, ac ſi iam præſentia & in conſpectu poſita viderentur. Hoc modo Deus prævidet omnia ex ſe ſuóque proprio ſpiritu ; eius item Prophetæ & Apoſtoli, varia prænoverunt, non ex ſuo proprio, ſed ex afflatu diuini ſpiritus. In ipſorum verò cauſis præcognoſcuntur res futuræ, cùm ex inſpectione cognitionéque præſentium cauſarum, colligitur tales futuros effectus. Sic agricola cùm florem oleæ videt, baccam quoq; ſe viſurũ putat, non ſine ratione ille quidem, ſed nonnunquam tamen fallitur.

Sic

Sic inſidias Imperator, tempeſtates gubernator, ſæpè provident. Sic Medici ſuas habent prognoſeis, id eſt artificioſas cognitiones futurorum eventuum & mutationum in morbis, conſtantes certis ſignis, habentibus connexionem naturalem cum re ſignificata: earumq; ope cognoſcunt, vtrùm æger à morbo ſit evaſurus, vel illius vi periturus. Habent enim ſuos effectus morbi, qui ſymptomata vulgò dicuntur, ex quorum diverſitate manifeſtum fit artis regularum & præceptorum gnaris, quis ægritudinis eventus ſit ſperandus. Signa tamen illa, fatentibus ipſis Magiſtris, & ipsâ teſte experientiâ, non ſunt adeò certa quin fallant aliquando: Ideòque vetus ſermo verus, *Præſtare à ſexaginta Medicis, quàm Triumviris capitalibus damnari & morti addici.* Habent etiam Aſtronomi coniectationes ſuas, ſiue iudiciariam ex Aſtris matheſin, quâ ex conſtantiſſimo ſyderum curſu & motu, varia provident Sic Solis defectiones, itemq; Lunæ, prædicunt in multos annos; Planetarum ſtationes, retrogradationes, aſpectus, coniunctiones, oppoſitiones & ſimilia, ex artis principiis veris & immutabilibus, norunt. Hinc ortæ Ephemerides. Verùm quàm certa eſt Aſtronomia,

tam vana & fallax Aſtrologia, quæ prædicit effecta euentuum futurorum non neceſſariorum, ſed contingentium. Poteſt quidem Aſtrologus ex Lunæ & Solis vario colore & alijs phænomenis, ventorum, pluviarum, ſerenitatis & eiuſmodi viciſſitudinis tempeſtatum eventus probabiliter prædicere, quia vtplurimùm hæc accidunt. Hinc Arati, Heſiodi, Ciceronis, Virgilij, aliorumq́; de Phænomenis carmina: ſed ſæpè ob peculiares aliquas cauſas hominibus ignotas, impediuntur hi effectus: Ideóque quotidie videmus quantùm aberrent Aſtrologi cùm totius anni reuolutiones, belli & pacis eventus, pluvias aut ſiccitatem, frigus & calorem, frugum vbertatem vel inopiam, morbos, aliaq́; prædicere attentant.

Suas præterea habent coniectationes probabiles, Nautæ, Paſtores, Lignatores, Phyſiognomi, Chiromantes, & Oneiropolæ; qui ex Elementis, Meteoris, Plantis, Brutis, lineamentorum inſpectione, ſomniorum interpretatione, nonnulla aliquando prævident.

Sed dubium non eſt quin iſta longè perfectiùs cognoſcant Dæmones, qui rerum cauſas intimiùs perſpiciunt: itaque non mirum ſi

multa

multa prædixerunt futura, quæ & certò evenerunt. Diligentiſſimè enim obſervant cauſas naturales & earum effecta: cùm verò etiam accedat longa & perpetua experientia, qua norunt quid ſolitum ſit ex tali cauſarum diſpoſitione provenire, & quid non; facilè poſſunt de omnibus hiſce rebus aliquid certi pronunciare.

Deinde multa etiam ſciunt prædicta fuiſſe à Prophetis ex Spiritu Dei, quæ illi arripiunt & ſuis cultoribus prædicunt, quaſi ex ſe iſta prævidèrint. *Diſpoſitiones enim Dei*, inquit Tertullianus, *& tunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt. Ita & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem.* Sic præſcivit Diabolus ex Danielis oraculis, Alexandrum M. ſuperato Dario potiturum Aſia vniverſa, & translaturum Imperium à Perſis ad Græcos. Hinc haud difficile vati Delphicæ, Alexandro eam conſulenti reſpondere, *Invictus eris.* Hinc eodem Alexandro ad extremum cum Dario confligente, aquila è ſublimi ſupra eius verticem ſeſe librare, & in adverſos hoſtes trajicere viſa eſt. Sic prænovit Dæmon ex Eſaiæ prophetijs, fore vt Tyrus deſtruatur ab ijſdem

Tert. Apo. c. 22.

Dan. 8.

Macedonibus; ille enim ait Cap. 23. *Onus Tyri. Vlulate naves maris, quia vaſtata eſt domus vnde venire conſueverunt: De terra Chittim revelatum eſt eis.* Terram verò *Chittim* Macedoniam eſſe, & ab Homero Κιωτεῖς Macedonas vocatos, aſſerunt Docti. Ex ijſdem Eſaiæ & Danielis vaticinijs, præſcivit impurus Spiritus, fore vt Aſſyriorum Monarchia in Perſarum poteſtatem redigeretur, & quidem à Cyro cuius nominatim meminit Eſaias capite 44. Vnde & coniectatus eſt regnum quoque Lydię periclitaturum; ideòque Cræſum fallaci oraculo ad bellum Cyro inferendum impulit, à quo & victus eſt. Hinc Delphicum oraculum reſpondit paulò ante id bellum, Gygis τὸν πέμπτον ἀπόγονον, *abnepotem*, qui in Cyri tempora incidebat, amiſſurum regnum Lydiæ.

Ex ijſdem Scripturis & Prophetarum vaticinijs, non obſcurè colligere potuerunt Dæmones, tempus adventus Chriſti. Ac ſanè patet ex ipſa Evangelij hiſtoria, Diabolum priùs Chriſtum noviſſe, quàm eos ipſos quibuſcum familiariter degebat. Hinc per os abrepticij inclamabat, *Quid nobis tecum eſt Ieſu*
Marc.1. *Nazarene &c. Noui te qui ſis, nempe Sanctus ille*
Luc.4. *Dei.* Et iterùm, *Exibant dæmonia à multis, clamantia*

mantia & dicentia, Tu es Chriſtus ille Filius Dei; & increpans non ſinebat ea loqui, quod ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. Id noverant Dæmones, quod pios ipſos latebat; Alij enim eum Eliam, alij Iohannem Baptiſtam, alij Hieremiam, alij vnum de Prophetarum numero eſſe credebant. Huc facit illud Pythiæ puellæ, de Paulo & Barnaba clamitantis teſtimonium, *Iſti homines ſervi* *Act.* 10.
Dei excelſiſſimi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis. Vnde quantum ſit Dæmonum acumen liquet, qui res abſtruſiſſimas & hominibus ignotas, ex Scripturis noverunt; ea, inquam, quæ Fideles ex ſola revelatione Patris cæleſtis cognoſcunt; quemadmodum Petro dicebat Chriſtus, cùm illum Filium Dei Viventis pro- *Matth.*
nunciavit. *16.*

Multa etiam ſunt quæ etſi Dæmones futura non prævident, tamen cùm iam parata ſunt vt fiant, vel iam incipiunt fieri, ea citiſſimè obſervant; idq́; propter aciem ſenſuum, celeritatem motus, & agilitatem aëreorum, ſubtiliſſimorumq́; corporum, quibus breviſſimo tempore, & vno ferè momento, magna locorum ſpatia emetiuntur, quæ in vno loco obſervarunt, ea alibi annuntiant tanquam futura; cùm tamen iam facta ſint vel cæpta fieri. *Celeriter enim*, vt

ait Auguſt.lib.de Divin. Dæmon. *non ſolùm curſus quorumlibet hominum vel ferarum, verùm etiam volatus avium incomparabiliter vincunt.* Duabus igitur illis rebus præditi, hoc eſt acrimonia ſenſus, & celeritate motus, multò antè cognita prænunciant, quæ homines præ ſenſus terreni tarditate mirentur. Sic phantaſmata illa Caſtoris & Pollucis, Romæ nunciarunt Perſeum Macedoniæ regem victum eſſe, eodem die quo victoria à L. Aemilio Paulo reportata eſt; cuius Legati vigeſimo die demũ poſt pugnam, Romam venerunt. Sic referunt Plutarchus in Iul. Cæſare, & Gellius Noct. Attic. lib. 15. c.18. eo die quo Cæſar & Cn. Pompeius per ciuile bellum ſignis collatis in Theſſalia conflixerunt, Patavij C.Cornelium ſacerdotem, auguralis ſcientiæ peritum, ſubitò quaſi mota mente exclamaſſe, *Pugnam acerrimam pugnari*; ac deinde cedere alios, alios vrgere, cædem, fugam, tela volantia, inſtaurationem pugnæ, impreſſionem, gemitus, vulnera, perinde vt ſi ipſe in prælio verſaretur, coram videre ſeſe vociferatum eſſe; ac poſtea exilijſſe clamantem, Vincis Cæſar. *Ea Cornelij ſacerdotis hariolatio*, inquit Gellius, *leuis tum quidem viſa eſt & vecors; magnæ mox admirationi fuit*: quod non modò pugnæ

gnæ dies, quæ in Theſſalia pugnata eſt, neque prælij exitus, qui erat prædictus, idem fuit; ſed omnes quoque pugnandi reciprocæ vices, & ipſa exercituum duorum conflictatio vaticinantis motu, atque verbis repræſentata eſt. Huius vaticinij ſic meminit Lucanus lib. 7.

——————————— Augur
Venit ſumma dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompey & Cæſaris arma.

Sic Philoſtratus narrat Apollonium cùm Epheſi eſſet, exclamaſſe quaſi interfuiſſet ſpectaculo, Romæ inter fici Domitianum, eo ipſo momento, vt poſtea compertum eſt, quo reverà trucidabatur. De hac Dæmonum velocitate præclarè Tertullianus, *Omnis ſpiritus ales* Tert.
eſt, inquit, *hoc Angeli & Dæmones. Igitur mo-* Apol. c.
mento vbique ſunt. Totus orbis illis locus vnus eſt: quid 22.
vbique geratur tam facilè ſciunt quam enunciant: velocitas divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.

Acceſſit quoque Dæmonibus, vt Auguſtini iterùm verbis vtar, per tam longum tempus quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia quàm poteſt hominibus propter brevitatem vitæ præuenire. Inde fit vt ex obſeruatione quarundam externarum actionum, motuum, geſtuum alicuius, facilè divi-

nare poſſint, quid ille cogitet, quid moliatur, quid facturus ſit. Præterea, vt optimè nouit rerum naturalium facultates, & ad quid valeant hominum voluntatem, mediante appetitu ſenſitivo, inclinare; novit omnium hominum temperamenta, affectuſq́; novit quid ex his & illis ſequi ſoleat. Vnde contingit vt ſæpè ad amuſſim prædicat, quid, quandoq́; homines ſint facturi.

Certò quoque poteſt prædicere ea quæ novit ſe permittente Deo facturum. Permittit enim nonnunquam Diabolis Deus, vt inficiant, alterent, conturbent aërem, & excitent ventos vehementiſſimos. Item vt tetra contagione infecto aëre, peſtilentiam immittant alicui regioni; vt agitent aquas & tempeſtatem cieant; vt inficiant terram, fruges, cibos; vt ad iram excitent homines, & eos committant inter ſe, vnde bella, diſſidia, lites exoriuntur. Antequàm verò hæc, quæ ipſi Dæmones ex permiſſu Dei facturi ſunt, eveniant, ea prænunciant Phythonibus & Magis. Hoc modo à Dæmone fuerat edoctus Turca ille Famaguſtanus, qui congregata in foro populi concione, prædixit ſe intra horæ ſpatium moriturum, & confeſtim ſe mortuo, luem deſituram, quod & evenit.

Villamont. l. 2 peregr. cap. 7.

Denique

Denique id ſibi etiam ſumunt impuri Spiritus eorumq́; Miniſtri, vt multa garriant de quibus nihil habent certi , ſed quæ coniecturis duntaxat dubiis augurantur; adeo vt iuxta illud Euripidis.

Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει σοφῶς

Benè qui coniicit ſit vates optimus.

Ideòque coniectantur παχυμερέστερον, vagè & confuſè, *qualis eſt longinqua oculorum acies, per intervalla media caligantiuum*, vt ait Gellius. Hinc Oraculorum ambages ; ita enim attemperabantur verba, vt quocunque res caderet viderentur verum dixiſſe. Vt cùm Cręſo de belli aduerſus Cyrum eventu quærenti, reſponſum eſt *Gell. n. Att. l. 14 c. 1.*

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει

Id eſt. Crœſus Halim tranſgreſſus, magnum regnum diſsipabit.

Si enim Crœſus victor evaſiſſet, Hoc volebam dixiſſet Dæmon, te hoſtiles copias profligaturum. Sed victus eſt Crœſus; Id ipſum volebam, ait, Te regno detruſum iri; ſed per ſtuporem, mentem meam non es aſſecutus. Eius generis eſt quod reſpondit Pyrrho Pythia ſacerdos.

Aio te Aeacida, Romanos vincere poſſe:

Vbi dubium, an *vincere* regat accuſativum

te, an *Romanos*; atque adeo an Aeacides, id eſt Pyrrhus, Romanos victurus eſſet, an verò hi illum. Sed Romani hanc fallaciam ferro ſolverunt. Inde Apollo *Loxias* dictus, quia ambiguis reſponſis conſulentes ludificabatur.

Aen. 6. Talia erant Sibyllæ illius carmina, de qua Virgilius.

Horrendas canit ambages, antroq́ue remugit.

Enim verò quod de ſommiis experimur, hîc quoque veriſſimum, rariſſima vera inveniri. Quia tamen aliquando Dæmonum oracula, non malè coniecerunt, hinc illis fides addita. Verùm, quemadmodum qui aſſiduè iacit aleam, vel talos figit, is aliquando ſeniones, aliquando Venerem iacit invenitq́; ; ſic cùm harioli & oracula centies mentita ſint, quid mirum ſi ſemel aut iterùm verum dixere? Sanè, ſi mendacia notarentur, mille forent pro vno verè dicto. Quomodò enim poſſunt verè dicere, qui exciderunt à veritate? Ideo Scriptura quæ præſcientiam ſolius Dei eſſe docet, hanc prorſus adimit Creaturis; ridetq́; augures, ac oſtendit vaniſſimam eſſe ſcientiam illam qua Dæmon decipit incautas gentes,

Eſa. 44. 25. *Ego ſum Dominus*, inquit, *qui irrita facio ſigna divinorum, & ariolos in furorem verto, eorumq́ue ſcientiam*

tiam ſtultam facio.

Ipſi Ethnici qui oculatiores fuerunt, iſtorum vanitatem arguerunt. Vide Ciceronem lib. 2. de Divinatione, vbi totam iſtam præſcientiam vatum, hariolorum, haruſpicum, ex animalium extis, è fulguribus, oſtentis, auſpiciis, oraculis, ſortibus, ſommiis &c. vaniſſimam eſſe docet, & ſcitè traducit: Ibidemq́; laudat illud Catonis, qui *Mirari ſe aiebat, quod non rideret haruſpex, haruſpicem cùm vidiſſet. Quota enim quæque res*, inquit, *prædicta ab his evenit? aut ſi evenerit, quid afferri poteſt cur non evenerit?* Hinc Pacuvianum illud de Auguribus.

— Iſtis qui linguam avium intelligunt,
Plùsq́ ex alieno iecore ſapiunt quàm ex ſuo;
Magis audiendum, quàm auſcultandum, cenſeo.

Nec omittendum illud Ennij,

Non habeo nauci Marſum augurem,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomniûm:
Non enim ſunt ij aut ſcientia, aut arte divini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentesq́ harioli,
Aut inertes aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam nō ſapiunt, alteri monſtrant viā:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt.

Tacitus de Magis, quos *Mathematicos* vocat, ait, *Id genus eſſe hominum infidum petentibus, & ſperantibus fallax, quod in civitate Romana ſemper vetatum eſt & retentum.* Sæpè enim Roma pulſi, & è Republicâ amota illa peſtis. Anno vrbis DCXIV. C. Corn. Hiſpallus Prætor, edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex vrbe atque Italiâ iuſſit; *Levibus atque ineptis ingeniis*, inquit Valer. l. 1. *fallaci ſiderum interpretatione, quæſtuoſam mẽdaciis ſuis caliginem iniicientes.* Anno DCCXXI. M. Agrippa Ædilis τὺς ἀστρολόγους καὶ τὺς γόντας ἐκ τῆς πόλεος ἐξήλασεν,
Dio l. 49 *Aſtrologos & Magos vrbe eiecit.* Auctor Dio ſæpè idem S.C. repetitum, & in maleficum id genus hominum, pœnâ capitali animadverſum. Noxij ſaxo Tarpeio deiecti, alijſq; ſuppliciis mulctati; vt legere eſt apud Tacitum lib. 2. Qui plura de vanitate & impietate Vatum & coniectorum cupit, adeat Gellium l. 14. c. 1. Sextum Empiricum l. 5. adverſ. Mathematicos. E recentioribus multi damnandam hanc artem expugnarunt. Hieronymus Savaranola in Opere eximio adverſus divinatricem Aſtrologiam. I. Picus Mirandul. lib. 12. Diſput. in Aſtrol. Alexander de Angelis lib. 5. Sixtinus ab Hemminga in Aſtrol. refutatâ: Georgius.

Raguſ.

Raguſ. eius l.1. de Divinat. Gaſſendus in Phyſic. lib. 6. ſect. 2.

Quanquam autem ſapientioribus apud Ethnicos, oraculorum & totius vaticinationis ſtrophæ ſubolerent; fraude tamen Diaboli magnam authoritatem obtinuere per multa ſecula. Vt enim faciliùs miſeris populis fucum faceret, hanc viam iniit. Cùm antiquitùs vixerint homines virtute præſtantes, Reges, Principes & Philoſophi, qui multa beneficia in genus humanum contulerunt; qui populos à vi & crudelitate tyrannorum vindicarunt; quique varias artes & ſcientias ad vitam neceſſarias invenerunt, aut excoluerunt; hos, populi dum ſuperſtites erant coluerunt, vt beneficos & aſſertores; poſt mortem verò, ſupremum cultum ceu ipſi Deo adhibuerunt; quos ſcilicet vt omnium bonorum largitores & malorum averruncos ſuſpiciebant, & admirabantur. Illis ſtatuas, Templa, aras adornarunt, ſacrificijs alijſq; ritibus litarunt, quò eos ſibi faventes & propicios haberent.

Huic hominum errori, ſubdolè ſe ingeſſit Satan; vtq; ſuperſtitionem promoveret, ad Heroüm illorum ſepulcra, aras, ſtatuas, & templa, prodigioſa nonnulla edebat; certiſq;

in locis, arte & naturâ ad horrorem & ſuperſtitioſum metum accommodatis, ſpecubus obſcuris, antris & terræ hiatibus profundis ſe inſinuabat; ſub nomine defunctorum, & in numerum Deorum relatorum, oracula reddebat, quibus homines de rebus futuris edocerentur, & ſibi ab imminentibus malis caverent. Itaque eodem tempore quo Deus inter Iſraëlitas, oracula per ſanctos ſuos Prophetas edebat, Cacodæmon reſponſa quoque dabat miſeris Ethnicis, eoſq; præſtigijs ſuis faſcinabat; & ſub nomine eorum hominum quibus populorum ſtulta veneratio divinitatem tribuebat, reſponſa petentibus dabat, quibus de futuris edocerentur, ſibiq; ab eminentibus malis caverent. Iiſq; oraculorum prædictionibus vt plurimùm reſpondebat eventus; ſin minùs, reſponſa adeò perplexa atque impedita erant, vt homines ſe potiùs culpâ ſuâ, quàm Dæmonum impoſturis, deluſos crederent.

Edebantur autem eiuſmodi oracula, vel ab ipſo Dæmone; vel à Sacerdotibus, & Phœbadibus ſpiritu fatidico afflatis: irruebat ſpiritus ille impurus in Enthuſiaſtas, è ſpecubus furvis, obſcuris & profundis, horribili ſono & ſtrepitu. Illæ in furorem actæ, cum palpitatione om-

nium

nium artuum, inverſis oculis & ore diſtorto, effabantur ea quæ illis Dæmon ſuggerebat; neque erant mentis corporisq; compotes, dum obſidebantur illo enthuſiaſmo.

Iſtis autem oraculis præfuiſſe impuros & homicidas ſpiritus, non obſcuris indiciis, evinci poteſt. Non tantùm quia ſæpè mentiebantur, ſéque tenebris & ambiguitate involvebant; Item quia non cælitùs, ſed ex ſpecubus ſubterraneis edebantur, quod Principi tenebrarum, nihil quàm terrena ſapienti convenit: ſed præcipuè, quia ſcelera vt plurimùm, & humanas victimas imperabant. Sic cùm claſſis Græcorum Aulide adverſis ventis detinebatur, Calchas vates fauſtam navigationem & omnia proſpera pollicebatur; at ſimul Agamemnonis filiam Iphigeniam immolari iubet. Idem Calchas, (vt refert Sinon) qui ſe ad Deorum ſuorum nutum ac morem accommodat & fingit, ſuadebat Græcis, ſanguinè humano Diis litare, vt eorum reditum fortunarent, *Aen.2.*

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa:
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum
Argolica.

Tireſias pollicetur Thebanis victoriam; ſed ea lege vt Creontis filius mactatus, ſit victima

pro patria. Idem Meſſeniis in longo illo & diuturno bello, quod cum Lacedæmoniis geſſerunt, conſulentibus de exitu, prædicit victoriam; verùm ea conditione, ſi virginem incorruptam de Æpytidarum familia Deo ſacrificarent. Ibi cùm Ariſtodemus, vnus ex præcipuis familiæ Æpytidarum, gratificaturus patriæ, filiam quam habebat vnicam, deſtinaſſet aræ; nobilis quidam amore puellæ adactus quò miſeram ſervaret, ex ſe gravidam eſſe, & ideo Deo litari non poſſe, fingit. Quo audito pater, rabido furore inflammatus, è veſtigio trucidatam filiam diſſecat: paulò poſt noctu, ſomniando, dum interemptæ & conciſæ filiæ atrox ſpecies obverſatur animo, per deſperationem ad tumulum eius ſemet-ipſum iugulavit. Androgei etiam cædes, expiari ſcilicet non poterat, niſi Athenienſes quotannis ſeptem adoleſcentes & totidem puellas, in Cretam, Minotauro devorandas mitterent.

Oracula autem primò edi cæperunt in Chaonia parte Epiri, in Templo Iovis Dodonæi. Poſtea in Lybiæ arenis, in templo Iouis Hammonis: Hæcq; duo fuerunt antiquiſſima & celeberrima, ad quæ ex omnibus orbis partibus confluebant homines, ſciſcitaturi

rerum

rerum eventus futuros. Deinceps cùm ex ſententia res procederet, & hiſce fraudibus ſe homines addicerent; exhedras propheticas variis in locis Dæmon inſtitui curavit, vnde reſponſa dabat: Vt Delphis per Apollinem Pythium; ac per eundem in Claro; in Delo, Colophone, Ancyræ, Cumis, Erythris: Lebadiæ in Bœotia per Trophonium, quod omnium oraculorum diuturnius fuit, teſte Plutarcho *De defectu Oraculorum*: Fuit & in Mileſia Branchidarum oraculum: Sabæum in Phocide: Amphiarai in Attica; Latonæ in Aegypto, in vrbe Buthi, quod Sebenniticum oraculum vocabatur. In eadem Aegypto Dii quoque fatidici fuerunt, Iupiter, Apollo, Mars, Minerva, Diana, Hercules. Antiochiæ, Iupiter Philius. In Apamea Syriæ, Iupiter Belus. In Delo ſortes certiſſimæ creditæ dabantur ab Apolline, ad aram quam illic habebat, artificioſè ex diverſis mactatorum animalium cornibus concinnatam. Apollo quoque Spodius, in cineribus mactatarum victimarum Thebis ſortes dabat; & Pataræ vrbe Lyciæ ſex continuis anni menſibus, pariter poſcentibus ſortes reddebat.

Sed de pleriſq; horum, alijſq;, in ſequenti-

bus ſigillatim dicemus; vt & de profanis vatibus, item de Sibyllis & prophetidibus, quarum celebre fuit nomen inter Gentes. Apponemus ſingulorum icones, ad eorum exemplar quos Boiſſardus doctus Antiquarius, è numiſmatibus, gemmis, ſtatuis, tabuliſq; antiquis æri incidi curavit.

Cæterùm iam ante Chriſti adventum, refrixiſſe oracula eorumq; exoleviſſe authoritatem, vel ex ipſo Cicerone conſtat. Is enim lib. 1. & 2. de Divinatione dicit, raras Delphos legationes mitti, non ampliùs dona à regibus & populis eò inferri vt olim: *Sed quod caput eſt,* inquit, *cur iſto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modò noſtra ætate, ſed iam diu, iam vt nihil poſſit eſſe contemptiùs?* Iuvenalis in eandem ſententiam.

— Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Sic Strabo Geograph. lib. 11. διόπερ καὶ τὸ ἐν Ἄμμωνι σχεδὸν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον, πρότερον δὲ ἐτετίμητο. *Itaque & oraculum Ammonis pænè deſertum eſt, quod antea honorabatur.* Plutarchus Cheronenſis, magni nominis, & quaſi oculatus teſtis, (non enim longè diſtabant Cheroneâ, Delphi, Lebadia, & Oropus) id ipſum

accuratè

accuratè ſcripſit; affirmatq́; ſilentium illud oraculorum omnibus ſtupori fuiſſe, eiuſq́; cauſam Doctos omnes perquiſiviſſe. Apud hunc Demetrius, *Nihil*, inquit, *attinet de iſto percunctari oraculo, & cauſam quærere; cùm videamus oracula quæ in his ſunt locis obſoleviſſe, atque adeò duobus aut tribus exceptis, omnia defeciſſe. Id potiùs indagandum eſt, quibuſnam cauſis extincta ſint. Nam vt alia taceam, Bœotiam, quæ ſuperioribus temporibus ob oraculorum multitudinem vocalis admodum fuit, nunc prorſus deſtituerunt oracula, tanquam amnes ſiccati, ingenſq́ divinationis quaſi æſtu quodam abſolutæ penuria, regionem occupavit. Neque enim alibi hodiè quàm apud Lebadiam, Bœotia vaticinationis reſponſa deſiderantibus præbet: reliqua partim ſilent oracula, partim vaſta prorſus deſertaq́ iacent.* Deinde in eodem illo libro quem *De Defectu Oraculorum* inſcripſit, ſollicitè huius cauſas inquirit; aitq́;, Alios afferre rerum viciſſitudines; Alios, Græciæ accolarum infrequentiam; Alios, nequitiam hominum, qui impietate ſuâ indigni ſunt quos Dij dignentur alloquio; Alios quia mortui erant Dæmones qui vatibus quondam inſpirabant oracula; Alios denique, quia terræ halitus, qui Pythias olim in furorem agebant, erant vetuſtate exhauſti: quod facetè ridet

Cicero l.2.de Divin. *Hoc loco, inquit, cùm vrgentur, evanuiſſe aiunt vetuſtate vim loci eius vnde anhelitus terræ fieret, quî Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut ſalſamento putes loqui, quæ evaneſcunt vetuſtate.* Conſuli ſuper eo argumento poteſt Theodoretus Ἑλληνικ. θεραπ. Serm. 10. Eadem teſtantur Iuſtinus *in Dial. adverſus Iudæos.* Athanaſius *de Human. verbi.* Auguſtinus *de Ciuit. Dei.* Euſebius *l. 7. c. 6. &c.* Crediderunt plerique ex Ethnicis, eos Spiritus quorum numine afflabantur oracula, non fuiſſe Deos, ſed Dæmonas, quibus poſt aliquot ſecula, vitæ finis eſſet conſtitutus. Obſervatu dignum eſt quod in hanc ſententiam narrat Plutarchus *in libello illo ſuprà laudato*: Sic apud eum Philippus quidam Hiſtoriographus: *De morte geniorum narrationem audivi viri nequaquam fatui aut vani Aemiliani Rhethoris, quem & veſtrûm nonnulli audiverunt. Is aiebat ſe aliquando in Italiam navigare conſtituiſſe, ac conſcendiſſe navem, quæ & mercibus & multis vectoribus eſſet onuſta. Sub veſperam verò cùm iuxta Echinadas eſſent, ventum poſuiſſe, navimq́ incerto curſu propè Paxas delatam. Tum ſubitò auditam fuiſſe vocem, quæ Thamum quendam nominatim cieret, non ſine admiratione omnium. Erat autem Thamus iſte Aegyptius gubernator, paucis è vectoribus de nomine*

nomine notus. Hunc bis vocatum ſiluiſſe: tertiò vocanti ſe dediſſe, qui contentâ voce dixit: Vbi ad Polodes veneris, annuncia magnum Panem eſſe mortuum. *Perterritos aiebat Æmilianus vniverſos, ac inter ſe diſputaſſe, præſtaret ne exequi hoc mandatum, an verò omittere, neque quicquam vanè agere. Thamum autem ſtatuiſſe, ſi ventus ſpiraret, tacitum ſe prætervecturum; ſin malacia ad eum locum pervectis exiſteret, expoſiturum quod audiviſſet. Poſtquam ad Palodes perventum fuit, cùm neque ventus eſſet, neque fluctibus mare exagitaretur; Thamum è puppi verſus terram proſpexiſſe, ac quod inaudiverat dixiſſe,* Ὁ μέγας Πᾶν τέθνηκε, Mortuus eſt magnus Pan. *Vixdum conticuiſſe illum, & gemitum magnum exauditum fuiſſe, non vnius ſed multorum, admiratione mixtum. Quod autem fieri ſolet cùm evenit aliquid multis teſtibus præſentibus; ſtatim rei famam Romæ fuiſſe delatam; Thamumq; à Tiberio Cæſare fuiſſe accerſitum; ac Cæſarem ita pro certo credidiſſe, vt de Pane illo diligenter inquiſiverit. Doctos autem quos multos ille ſecum habebat, conieciſſe eum eſſe qui Mercurio & Penelopa fuiſſet natus. Habuit autem Philippus teſtes quoſdam ex iis qui tum vnà aderant, & Aemiliani iam ſenis auditores fuerant.*

Quod Ethnici de Pane Deo capripede & cornigero intellixerunt, cuius interitum vox

illa teſtata ſit, id non ineptè à nonnullis Chriſtianis ad Chriſti mortem, qui ſub Tiberio paſſus eſt, referunt: Is enim verus πᾶν, omnium author & Dominus. Eius ſanè mors vim omnem Dęmonum ſuperavit, impoſturas detexit, & quocunque eius nomen & doctrina illata ſunt, inde ceu ad lucem tenebræ, oracula, omnis ipſorum officina, ac ſchemata evanuerunt; conticuerunt Dæmones vbique, & tanquam ranæ Seriphiæ obmutuerunt; ac deſertis nequitiæ ſuæ latebris, ceſſerunt non quidem vltrò, ſed compulſi, omnipotentiæ Chriſti. Verè enim Athanaſius teſtis αὐτόπτης; *Olim Dæmonia inani ſpecie ludibriiſq; rerum intricabant homines, inſeßis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus aut lignis, atque ita præſtigijs fatuos in furorem agebant: nunc verò cùm apparuit Dei verbum ſpectra huiuſmodi & ludibria imaginum ceſſarunt.* Hæc ſic prædicta erant à veris Prophetis Zachar. 13. 2. 3. *Eritq; in illo die, dicit Deus exercituum, Excindam nomina Idolorum è terra, ne vltrà eorum fiat mentio: & pſeudo prophetam & immundum ſpiritum de terra auferam.*

Athan. de Human. verbi.

Si poſt Chriſtum adhuc audita ſunt aliqua oraculorum reſponſa, ea certè adeò fuerunt rara, læſa & manca, vt nullo loco haberi debeant. Muſſitarunt duntaxat ad Conſtantitinum

num Magnum, qui delubra in quibus Satan populos ludificabatur everti iuſſit; & tripodas Delphicos è latebris extractos, cum opprobrio oculis populorum expoſuit, vt narrat Euſebius in eius vita. Conatus quidem eſt poſt aliquot annos Iulianus, cognomento Apoſtata, qui poſt filios Conſtantini orbem Romanum curavit, collapſa oracula reſtaurare: idem aliquot ante obitum menſibus, Apollinis oraculum, ſuper ſucceſſu belli Perſici conſuluit; ſed nihil inde conſecutum eſt. Ex eo nulla fuit ampliùs oraculorum mentio.

Iuppiter Dodonæus.



Mi Dodonæi ſervit tinnitus aheni:
Vocales quercus, atq; columba loquax.

IVPITER DODONEVS

IVPITER ita dictus, vt nonnullis videtur, quaſi Iuvans pater. Veriùs obliquum caſum IOVIS, deductum à IEHOVA Hebræorum. Ζεὺς à ζῆν, id eſt, vivere, tanquam vitæ author; vel ἀπὸ τοῦ ζεῖν, à fervore. Hunc Camum fuiſſe, minimum natu filiorum Noë, multis probat Clariſſ. Bochartus in Geogr. Sacra. Ethnici Scriptores, eum aiunt fuiſſe Regem Cretenſium, Saturni & Opis filium, qui ſubditos ſuos innumeris beneficijs iuvit, & inter ſui ſeculi Reges omnibus virtutibus eminuit; propter quas vita functum, non modò Cretenſes, ſed & reliqui populi, divinis honoribus proſecuti ſunt. Eum Poëtæ & Oratores, Optimum, Maximum, Altitonantem, Vltorem, Feretrium, Olympium, Statorem, Elicium, Agonium, Alexiterium, Datorem, Hoſpitalem, Victorem, Capitolinum, Latialem, Dodonæum, Ammonium, varijſq; alijs nominibus cognominarunt, pro ratione officiorum quibus fungebatur, aut locorum vbi colebatur.

Dodoneum appellarunt à Dodona Chaoniæ vrbe, prope quam mons erat frequentiſſimis quercubus veſtitus, Iovi antiqua religione ſacer; & in primis venerabilis, non tantùm eo nomine quod in illo luco Dryades, Fauni, Satyriq; habitare credebantur; ſed quia illic erant quercus quædam & fagi, vel Sacerdotum fraudibus, vel Dæmonum illuſione vocales, quæ conſulentibus reſponſa dabant; ſummâq; audientium admiratione, & magno pavore, futura prædicebant. Inde factum, vt illæ arbores, maximè quercus, Iovi ſacræ fuerint. Sunt qui, quod Dodoneæ illę quercus vocales creditæ ſunt, naturali cauſa fieri potuiſſe autumant. Narrat hodiernus author, anno 1653. in loco Caumont dicto iuxta Toloſam, fuiſſe vlmum quandam, quæ quaſi humanam vocem referre videbatur; eôq; confluxiſſe magnam hominum frequentiam: Ait ſe cùm & hûc rei indagandæ cauſa veniſſet, obſervaſſe arborem illam concavam eſſe, & in ea fieri echo vocis eorum qui ad eam accedebant, vnde murmura & voces emitti videbantur. Ac ſanè vocis ac ſoni repercuſſio quî minùs in arboribus quàm ſaxis fieri poterit? Voces arboribus & ſylvis tribuere ſolemne eſt Poëtis.

Borell. Obſeru. Med. Phyſ.

Avia

Planxerunt Dryades, plangentibus aſſonat Echo. *Ouid.l.3 Met.*

Rurſus Hylã, & rurſus Hylã, per longa reclamat
Avia, reſponſant ſylvæ, & vaga certat imago. *Val. Flacc. Argon. l.3.*

Cæterùm in luco illo Dodoneo, appenſa erant catenis in ſummitate quercuum, ahenea crepitacula & tintinnabula, quæ vel leviſſimis ventis agitata, ſonitum frequentem diu noctuq; reddebant. Vnde Proverbium, *Aëre Dodoneo loquacior.* Ibidem duæ ſervabantur columbæ quæ interrogatæ, voce humana claris & diſtinctis verbis, reſpondebant ſuper iis de quibus ſciſcitabantur ſuperſtitioſi. Crediderim Dodonidas illas columbas, mulieres fuiſſe, ſic dictas, quia Theſſali, vt teſtatur Servius in Bucolicis, tam vaticinatrices, quàm columbas, vocant πελείαδας.

In Iovis autem Dodonei templi adytis, per fatidicas mulieres, enthuſiaſmo obſeſſas, ipſe Iupiter loqui credebatur, & de rebus futuris reſponſa dare,

Dicitur templum illud conditum à Deucalione, & ab iis qui cum eo ſuperfuerunt diluvio. Fuit ibi oraculum antiquiſſimum omnium & celeberrimum.

Iuppiter Hammon.



Fuſcus Arabs noſtras donis ſolemnibus aras
Rite onerat, dum illi fata futura cano.

IVPITER HAMMON

FVerunt innumeri Ioves, pro numero locorũ in quibus colebatur iſtud Idolũ. Præterea vt omnes Romanorum Imperatores Cæſares, ad primi Cęſaris auſpicium; ita Ioves ad Iovis illius Cretenſis Saturni & Rheæ filij omen, dicti ſunt ab Antiquis. Hic enim præclara in mortales beneficia, maximè in Athenienſes, contuliſſe dicitur. Nam rudes adhuc populos legibus à ſe conſtitutis parêre perſuaſit; certa matrimonia conſtituit; ferino more viventes ad cultum Dei erexit; aras, ſacerdotes & ceremonias inſtituit; omnia divinâ Providentiâ regi demonſtravit. Huic itaque Græci quæ de omnibus dicta ſunt, vni tribuerunt.

Ammonius vel Hammonius, in Lybia ſpecie arietis colebatur. Huius formæ hanc cauſam reddunt. Cùm Bacchus terrarum orbem perluſtraret, tandem venit in Arabiæ deſerta, ſterilia & arenoſa; per quæ dum iter facit, è longo itinere & æſtu Solis ardentiore, ſitim vehementiſſimam contraxit; itaque defectu aquæ iam iam cum ſociis periturus, Iovis opem

implorat , qui illi in forma arietis apparuit, terramq́; pede percuſſit, ex qua ſtatim emerſit limpidiſſimi fontis ſcaturigo , vnde biberunt omnes ad ſatietatem, & recreati ſunt. Quare vt gratum animum teſtaretur Bachus, templum illic ædificavit & conſecravit Iovi Ammoni, hoc eſt arenario ; Græci enim ἅμμον arenam vocant. Si ſcribitur per aſpirationem *Hammon*, deduci poſſet ab Hebræo חמן *Incaluit*, vnde חמנים Subdiales ſtatuæ, de quibus Levit. 26.30. Idola ſcilicet ſuper tecta appoſita, quæ quia Soli expoſita, ſic appellabantur. Fuit verò Hammoni Iovi erectum eiuſmodi חמן *Solarium*, ſimulacrum Iovis in ſublimi poſitum.

In medio Hammonis nemoris, mirum fontem fuiſſe perhibent, quem aquam Solis vocabant. Sub lucis ortum tepida manabat, medio die cùm vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem manabat, inclinato in veſperam caleſcebat, mediâ nocte fervida exæſtuabat ; quòq́; propriùs nox vergebat ad lucem, multùm ex nocturno calore decreſcebat, donec ſub ipſum diei ortum, aſſueto tepore langueſceret.

Q. Curt. l. 4. Id quod pro Deo colebatur , non eandem effigiem habebat. Vmbilico tenus , arieti ſimilis erat habitus: ſmaragdo & gemmis coagmenta

mentatus. Hunc, cùm reſponſum petebatur, navigio aurato geſtabant Sacerdotes, multis argenteis pateris, ab vtroque navigij latere pendentibus. Sequebantur matronę, virgineſq;, patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propiciari Iovem credebant, vt certum ederet oraculum.

Loci celebritate motus Alexander, eò iter ſuſcepit, & fæliciter ſuperatis, contra omnium opinionem, ſolitudinibus, quæ aquæ penuria ſunt difficillimæ, arenarumq; mobilium quaſi fluctibus; tandem ad ſacrarium penetravit. Illic à Vatibus obvijs honorificè exceptus eſt. Cùmq; ad oraculum ſubſtitiſſet, Sacerdos Hammonis vates, adeuntem Alexandrum Græcè ſalutare cupiens, Παῖ Διὸς, ex inſcitia linguę, id eſt Iovis fili, cùm παίδιον, id eſt, filiolum, vocabulo blandientis compellare vellet, ſalutavit. Inde rex ambitioſus, cæleſtis originis gloriam captavit, cui error initium dederat; voluitq; omnibus perſuaſum, filium ſe Iovis Hammonis eſſe, qui cum matre Olympia ſub ſpecie draconis conſuetudinem habuiſſet. Hinc Arabes Alexandrum *Bicornem* vocant, non tam ob partum Orientis & Occidentis imperium, quàm à cornutâ Alexandri effigie nummis exhibitâ, vt Io-

vis Hammonis filius agnoſceretur.

Cæterùm Hammonem illum Iovem eundem fuiſſe cum Chamo Noachi filio , Docti affirmant. Hic enim, vel quia fratrum minimus, vel propter anathema à patre in illius caput contortum , in Aphricæ ſteriles arenas ablegatus eſt ; ibiq́; cultus ſub nomine Iovis Cham, ſeu Hammonis. Scribitur enim per Cheth Hebræum , quod Latini per ſuum H, Græci per ſuam aſpirationem , pronunciant.

Apollo Pythius.



Sive Clarum, aut Delphos habitem, Delūve natantē
Fatidico Ex adytis, me iuvat ore loqui.

APOLLO PYTHIVS.

APOLLO fuit filius Iovis Hammonis. Is eſt PVT vnde Pythius, Cami filius, de quo Geneſeos 6. Quanquam autem quatuor fuiſſe Apollines teſtetur Cicero, reliqui ſilentur, omneſq; eorum res geſtæ, ad illum vnum Hammonis filium referuntur. Huius ortum ſic garriunt Poëtæ. Cùm Latona vtero geſtaret gemellos Apollinem & Dianam, quos ex Iove conceperat; Iuno zelotypa more ſuo, Pythonem horrendæ vaſtitatis ſerpentem immiſit, qui gravidam proſequeretur & vexaret. Mulier poſt diutinos errores, tandem navigio delata eſt in Inſulam Ortygiam, ad ſororem ſuam Aſteriem, quæ in illa regnabat. Cùmq; ea inſula ferè tota mari inundaretur, parturienti tamen Latonæ locum dedit, vnde *Delos* dicta, quæ ἄδηλος erat antea. Ibi igitur enixa infantes, prima prodiit ex vtero Diana, quæ ſe ſtatim obſtetricem matri, in partu Apollinis gemelli fratris laboranti, præbuit. Vnde factum eſt, vt prægnantes in puerperio eius nomen invocarent: eaq; Lucina dicta eſt, quod lucem natis

Lib. 3 de Nat. Deor.

natis infantibus oſtenderet.

Apollo natus & adultus, Pythonem matris vexatorem ſagittis confecit, vnde Pythium vocatum volunt. Pythici poſtea ludi in honorem Apollinis, ob devictum ſerpentem inſtituti ſunt.

Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Ouid. Met. lib. 1.

Hi celebrabantur ineunte vere per totam Græciam; & quadrigis exceptis, omnia quæ in Olympicis aderant athletarum certamina.

Victores in his ludis lauro donabantur. Alij volunt μῆλα τῶν ἱερῶν τοῦ Ἀπόλλωνος præmium fuiſſe, vt ait Lucianus: Verùm per μῆλα intelligi haud abſurdè poteſt Delphica laurus, quæ maximis baccis pomorum inſtar, atque è viridi rubentibus eſſet, vt obſervat Brodæus.

Luc. lib. de Gymn.

Macrobius & Plutarchus in Problemat. fabulam illam occiſi ab Apolline Pythonis phyſicè interpretantur, qui conſulendi ſunt. Srabo lib. 9. Pythonem ſceleratum hominem fuiſſe, cognomento Draconem autumat. פתן *Peten*, aſpidem aut ſerpentem Hebræis denotat, à quo forſan Python appellatus eſt.

Fuiſſe autem primus Medicinæ author Apollo perhibetur, proptereaq; divinitatem

meruiſſe, vnde Ovidius.

Metam l.1. *Inventum Medicina meum eſt, opifexq́ per orbem*
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Fertur idem fuiſſe Muſicæ & carminum inventor, quod ipſe ſibi apud eundem Poëtam arrogat.

——— *Per me concordant carmina nervis.*

Ideò illi conſecrabantur cicadæ, canorum omninò animalis genus. Huic item tribuebatur ſagittarum ſcitè emittendarum peritia. Sed inprimis celeberrimus fuit ob divinandi artem & vaticinia; eoq́; nomine maximè omnium Deorum, à cunctis ferè gentibus in honore habebatur. Vnde nonnulli Pythonis Etymologiam ἀπὸ τȣ̃ πυνθάνεσται arceſſunt, ab interrogando, ſeu conſulendo; quia nemo Deorum fuit quem ſæpiùs conſulerent, nec qui plura funderet oracula.

At cùm multis in Europæ & Aſiæ locis coleretur, Delphis inprimis Phocidis vrbe, antiqua religione venerandum habuit Templum; de quo vide *Pauſaniam*; *Strabonem lib.9.*; *Diodorum Siculum lib.16.*, qui originem quoque Delphici oraculi deſcribit. Nullumq́; fuit totâ Aſiâ magnificentius aut donariis locupletius. Nam in eo ſtatuæ plurimę, ex auro ſolido & argento,

magni

magni ponderis & artificij, à Regibus & Principibus repoſitæ erant, cum alijs donariis preciosiſſimis. Pauſanias refert, ſqueleton aheneum admirandi artificij, appenſum tholo templi fuiſſe ab Hippocrate. In medio Templi erectus erat tripus, in quo inſidens Pythia, afflatum Dæmonis erumpentis è profundo hiatu, excipiebat; quo correpta vaticinabatur; idq́; non ſemper, ſed ſtatis tantùm temporibus, vt Idibus & Calendis menſium, vel Lunæ defectu, aut incremento; vel crepuſculis, matutino & veſpertino.

Qui ſciſcitaturi erant oraculum, conſecrabantur priùs ſolemni ritu, & mactabant victimam, quam poſtquàm totam contremiſcere, & micare cerneret Pythia, inſidebat Tripodi ſacro; conceptoq́; Deo, Græcis verbis reſponſa pronunciabat.

Fuit autem Tripus, vt eſt in lib. Ψ Iliados, vas vel aureum vel æreum, quod tribus pedibus fulciebatur; aureſq́; ſiue anſas habebat, quibus apprehendebatur. Alij dicunt, Tripodas fuiſſe menſas in Apollinis Delphici templo, ſuper quibus recumbentes Phæbades reſponſa reddebant; quas etiam menſas, *Cortinas* vocabant: Quanquam nonnulli *Cortinam*, vas eſſe illud

putent tribus ſuffultum pedibus, in quod mergebatur Phæbas vaticinatura. Strabo cenſet Tripodem ſignificare ipſum divinum domicilium fatidicæ virginis; ſpeluncam ſcilicet illam profundam, in quam demerſa reſponſa referebat.

Edebantur autem primò oracula per puellam virginem : deinde cùm illarum vna , ab Echerate Theſſalo conſtuprata eſſet, ſancitum eſt ne inpoſterùm vlla Pythia oraculis præficeretur, niſi ætate iam provecta.

Tradit Origines in Celſum l. 7. Pythiam in tripode ſedentem, per obſcena excepiſſe ſpiritum Apollinis : quo accepto tumebat venter, ipſaq; furore percita, reſolutis crinibus & ore ſpumas emittens , reſponſa fundebat. Inde ἐγγαστείμυθος γυνὴ, à Septuaginta Interpretibus, appellatur Pythonyſſa illa mulier quam conſuluit Saül. Vide & Eſai.8.

Vt Diabolus Dei & hominum adverſarius eſt, *fuitq; homicida ab initio*; ita per oracula hominũ perniciem ſępè ſuadebat, vt iam ſuprà obſervatum eſt. Exemplo eſto inter innumera, quod Delphis reſpondit Ionibus, remedium adverſus peſtilentiam ſciſcitantibus; Non deſituram luem, niſi immolaretur Dianæ Triclariæ Menalippus

nalippus & Cometho puella, quam ille in Dianæ delubro violaverat; niſiq; annuatim pro Menalippo iuvenis forma inſignis, pro Comethone ſacrificaretur eidem Deæ, virgo ſpecie & pulcritudine primaria.

Notum eſt quo pacto Delphicum oraculum Neroni illuſerit, cùm interroganti de regni ſui diuturnitate, reſpondit, *Caveret annum ſeptuageſimum tertium.* Ille exiſtimans ſe ad eam ætatem ſuperſtitem fore, ſecurus luxui, libidinibus & feritati belluinæ ſe dedidit: neque animadvertit eam ætatem ad Galbam referri debere, qui annos natus 73. Nerone interfecto Imperium occupavit.

Sæpè direptum fuit Templum illud Delphicum. Primò ab exercitu Xerxis: Aliquantò poſt Philomelus Dux Phocenſium bello ſacro, templi iſtius aurum & anathemata rapta, convertit in ſtipendia militum. Quæ res illi ceſſit improſperè. Nam paulò poſt acie fuſus à Bœotis & ſauciatus, ſeſe præcipitem dedit. Idem aggreſſus Dux Gallorum Brennus, grandinibus & frigore obſidione excuſſus, ipſe ſe ſica transfodit. Id ipſum malè ceſſiſſe Achilli Pyrrhi filio narrant. Inde Templo & Oraculo impenſior veneratio, vt pote Deo vlciſcente ſacrile-

gia. Iſta tamen Neronem exterrere non potuerunt quò minùs Templum profanaret, conjectis in ſpecum cadaveribus. Dio author eſt ſolutum fuiſſe illud oraculum, hominibus ad hiatum iugulatis, vnde ſacer prodibat ſpiritus. Imperante Conſtantino Magno, Chriſtiani Delphicum templum eiuſq; ſpolia ac inſtrumenta, Byzantium intulerunt; & ex tripode Delphico conflaverunt ſcyphos, aliaq; Imperatorij abaci inſtrumenta. Vnde factum vt deinceps Regum & Imperatorum abacus convivalis, *Delphicus tripus* appellaretur.

Reſtauravit quidem Templum Iulianus Apoſtata, ſed brevi, eodem regnante, fulmine tactum eſt, & funditùs everſum.

Fuit etiam Apollini Clario celeberrimum oraculum Colophone, quæ vrbs eſt Ioniæ, quò ex tota Aſia confluebant homines id de ſuis rebus conſulturi; adeò vt ex illâ vndequaque convenientium frequentia, ad ampliſſimas opes vrbs pervenerit. De hoc oraculo ſic Tacitus Ann. 2. *Germanicus appellit Colophona, vt Clarij Apollinis oraculo vteretur. Non fæmina illic vt apud Delphos, ſed certis è familiis & fermè Mileto accitus ſacerdos, numerum modò conſultantium & nomina audit: tum in ſpecum degreſſus, hauſtâ fontis arcani*

arcani aquâ, ignarus plerunque literarum & carminum, edit reſponſa verſibus compoſitis, ſuper rebus quas quis mente concepit. Et ferebatur Germanico per ambages, vt mos oraculis, maturum exitium cecinisſe. A Tacito diſſentit Strabo, illi ætate compar: Hic enim, vt obſervat Lipſius, ita loquitur de hoc oraculo tanquam nullum ampliùs fuerit ætate ſua. Κολοφὼν, inquit, πόλις Ἰωνικὴ, καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν. Colophonij autem, vt hoc obiter obſervem, in equeſtribus certaminibus adeò præſtabant, vt quibuſcunque ſociis ſe adiunxiſſent, ij ſibi certam victoriam pollicerentur. Vnde natum proverbium quando ſumma manus alicui operi imponenda erat, *Addere Colophonem.*

Reddidit præterea ſortes Apollo Pataræ, vrbe Lyciæ. Item Mileti.

Trophonius Lebadius.



Nemo niſi noſtris agelaſtus prodit ab antris
Fatidici qui Vim pectoris intus habet.

TROPHONIVS

TROPHONII originationem deducit Doctiſſ. Bochartus à Syro טורפא taurophо, quod pro conſternatione paſſim occurrit. Radix eſt טרף Teraph, *Turbari*, *Conſternari*. Fuit enim huic antrum, quò quiſquis deſcenderet oraculum conſulturus, multo tremore attonitus redibat, κάτοχος τῷ δείματι, vt teſtatur Pauſanias ipſe expertus. Vnde illud Ariſtophanis in Nubibus.

——————— ὡς δέδοικ' ἐγὼ
Εἴσω καταβαίνων, ὥσπερ ἐς Τροφονίου.
———— *Quàm totus tremens*
Deſcendo, ſicut ad Trophonij ſpecum.

In quem locum Scholiaſtes; *Qui eò deſcendit, non ridet ampliùs, propter terrorem ex ſerpentibus.* Hinc Proverbium de moroſis & tetricis, *In Trophonij antro vaticinatus eſt.*

Tradunt autem Trophonium virum fuiſſe ſupra modum gloriæ famelicum, qui extructo ſibi ſubterraneo fano & domicilio, Lebadiæ Bœotiæ oppido, illic oracula reddebat; deinde cùm ibi ille fame interijſſet, genium quen-

dam in ſpeluncam illam demigraſſe, atque oracula reddere perrexiſſe.

Picturæ Trophonij affingi ſolet apum examen, hac occaſione. Cùm propter pluviarum defectum, magna eſſet fames & annonæ penuria in Bæotia, conſuluerunt Apollinem Delphicum: Hic reſpondit, *Opus eſſe Trophonij Lebadienſis conſilio.* Eò miſſi ſunt Legati, quibus ignotum erat, vt pote neglectum, Trophonii antrum. Incertis ſeſe offert ſenex quidam nomine Saon, divinandi peritus, qui monet Bœotos vt apum examen, quod opportunè ſeſe offerebat, ducem ſequerentur, & vbi ſubſideret, illic eſſe locum quem inquirerent. Illi examen hilares ſequuntur, & vbi apes ſubſtiterunt, antrum animadverterunt terra & crebris coopertum ſentibus; quibus remotis, Genium loci religiosè ſalutarunt, reſponſum ſuper quæſitis acceperunt, & ex præſcripto oraculi, illic ædem ſacram ſtruxerunt.

Oracula reddebantur ſupra montem, in nemore denſis arboribus conſito. Conſulturis vatem cum magna difficultate per ſcalas anguſtas & teretes in antrum miranda altitudine depreſſum, tetrum & horridum, deſcendendum erat. Huc ſe demittebant vel nudi, vel

alba veſte aut purpura amicti, geſtantes placentas, quas lemuribus ſubterraneis & ſerpentibus obiicerent, vt deſcendere & revocare gradum liceret. Sed priuſquàm deſcenderent, variis ſacrificiis numen litabant, & per multos dies quotidianis aquæ calidæ lavacris corpus abluebant.

Statua Trophonij, cuius hic ſpecies exhibetur, extra Templum erecta erat, in loco eminentiore, vt ab omnibus coli poſſet; ſed clathris & mucronibus ferreis vndequaque ſepta, ne quis eam contingeret.

Aliud fuit Templum Trophonio dicatum Thebis, vaticinio clarum.

Branchus Apollinis Didymæi filius et ſacerdos.



Turpe Eſſet nobis artes neſcire paternas;
Quas mè inſpiratus Pythius edocuit.

BRANCHVS

BRANCHVS fuiſſe dicitur Apollinis filius, quem ex Iance ſuſcepit. Is cùm adoleviſſet, matrem obnixè rogavit vt ſibi patrem declararet & oſtenderet; cûm itaque ad Apollinis amplexum veniſſet, hic contemplatus filium ſingularibus animi corporiſq; dotibus exornatum, non mediocriter delectatus eſt huius conſpectu. Apollo filij capiti coronam impoſuit, virgamq; ei donavit quâ fultus vaticinari cæpit, futura prædicens & poſcentibus oracula reddens. Hunc Apollo ſuis præfecit ſacris, & per eum oracula edidit. Poſtquàm Branchus per multos annos ſacerdocio functus eſſet in templo Apollini Didymæo prope Miletum ſacro, extrema ſenectute decedens è vita, ad ſuperos relatus eſt, communi Mileſiorum decreto; communibuſq; ceremoniis, honoribus & templo, cultus eſt cum Apolline. Vnde & ipſe Deus *Branchides* appellatus eſt, Templum *Branchidarum*, & Sacerdotes *Branchidæ*. Idem nomen inditum eſt ipſis populis, apud quos hæc oracula edebantur. Templum

autem Branchidarum, ſumptu & opibus non ceſſit Delphico. Hoc oraculum à Iamblico deſcriptum eſt libro de Myſteriis Aegyptiorum.

Serapis ſive Dis Pater.



Lux æterna mihi eſt: Græcis ſum Pluto Serapi
Aegyptus: Ditem Gallia priſca vocat.

SERAPIS

SERAPIS Latinis, Græcis *Sarapis*, qui & Apis & Oſiris dictus, Idolum fuit magna in veneratione apud inſanum Aegypti populum: Θεὸν ἑπταγράμματον nuncupatum fuiſſe ex veteri conſtat epigrammate. Hunc Ioſephum fuiſſe colligere eſt ex eo quod modius capiti ſuperimponeretur, vt eſt apud Ruffinum. Cùm autem variæ cauſæ afferantur, maximè placet quam is ſubiungit, frugum largitatem eo indicari, & ſic fictum ſimulacrum ob diviſionem frumenti quo famis tempore ſubvenit Aegyptiis.

Hiſt. Eccl. l. 2. c. 23.

De huius idoli origine, in varia fuerunt opinionum diverſitate Veteres. Alij Iovem eſſe putabant, cuius capiti modius ſuper impoſitus, quia vitam mortalium frugum largitate ſuſtentat. Alij Nili fluminis virtutem repræſentari affirmabant, cuius opibus & fœcunditate, Aegyptus paſcatur. Alij denique, ex veteribus Græcorum hiſtoriis conſtare aiunt, Serapidem regem fuiſſe Aegypti, qui rudes adhuc homines ad mitiorem vitæ cultum traduxit, colen-

darum

darum vinearum & agrorum rationem docuit, famis tempore alimenta ſubditis præbuit, multiſq; vtilibus inventis populos beavit. Ideoq; eum dum viveret ſummo honore exceptum fuiſſe, & occiſum à Typhone fratre, in numerum Deorum relatum. Typhonem verò, ceu parricidam omnibus contumeliis inſectabantur Aegyptij, & quia is fulvo crine erat, omnes rufi apud eos ludibrio erant.

Macrobius vult Serapin Solem eſſe; ideò radiis quaſi ſolaribus circumfuſum caput huius idoli repræſentabatur. Et fortè Serapis ab Hebræo שרף *Saraph*, quod eſt adurere, (vnde Seraphini Angeli) deduci poſſet. *Lib. 1. Satur. c. 20.*

Colebatur autem Serapis ſub forma bovis, quòd iſtud animal ſit omnium ferè vtiliſſimum. Bovem illum, quem Apin vocabant, Sacerdotes indictis feriis & ſolemni feſto, adorandum populo proponebant. *Erat verò Apis bos corniculantis Lunæ ſpecie latere dextro inſignis*, vt ait Amm. Marcellinus; & iuxta Strabonem *Albus erat frontem, & parvas quaſdam corporis partes, cætera niger*; eumq; non coitu pecoris, ſed cœleſti igne, ſeu radiis lunaribus conceptum nugabantur. Illi certum vitæ terminum excedere non licebat, quo peracto antiſtites *Am. Marc. l. 21. Strabo l. 17.*

eum in ſacrum fontem, id eſt Nilum, demergebant & necabant; indictoq́; iuſticio per totam Aegyptum, veſte ſciſſa, capillo deraſo vitâ functum cum planctu lugebant. Alio tandem invento bove, qui eiuſdem coloris eſſet, publica lætitia promulgabatur, & ſacrificia conviviaq́; à populo cum hymnis & tripudiis paſſim celebrabantur. His ceremoniis animam Oſiridis ſub imagine viventis bovis colebant.

Ab hoc Api ſeu bove, vituli aurei idololatricum cultum traxiſſe Iſraëlitas, ſentiunt Veteres Patres; vt & Ieroboamum, qui aram Vitulo in Dan ſacravit, non longè à Iordanis fonte; quo illâ Bovis imagine, ſibi populum retineret, firmaretq́; Aegyptiacæ ſuperſtitionis memoriam.

Qui omnes de Apide nugas cupit, adeat *Herodotum in Thalia, & Euterpe. Strabonem lib.17. Plinium Hiſt. Nat.8. cap. 46. Solinum cap.35. Melam.* 1. c.9. *Ammiani* Iulianum. *Suidam. Spartiani* Adrianum. *Diodorum Biblioth.* 1. *Luciani Caron.* De ſtatua verò illa Memnonis quæ in Templo Serapidis radiis Solis icta vocalem ſonitum edebat, vide *Plinium* l. 36. cap. 7. *Pauſaniam in Atticis. Strabonem lib.6. Tacitum Ann. l.2. Philoſtratum* in Apollonio, qui eam ſtatuam ait

ſe

ſe vidiſſe in Aethiopia, cùm tamen certum ſit in Aegypto fuiſſe, iuxta illud Satyrici.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? &c.
Dimidio magicæ reſonãt vbi Memnone chordæ.

Sumptuoſiſſimum autem illi fuit templum Memphi: aliud item celeberrimum Alexandriæ, de quo Ammianus cùm eius memoranda recenſet, *His*, inquit, *accedunt altis ſublata faſtigiis templa; inter quæ eminet Serapium, quod licèt minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis ampliſsimis & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, vt poſt Capitolium, quo venerabilis Roma ſe in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat.* Ad horum exemplum illi quoque fana dedicarunt reliqui populi, Athenienſes, Spartani, Bæothi, alijq́;. Cultus præcipuè fuit Romanis, à quibus Serapis vnà cum Iſide vxore in numerum Deorum relatus eſt. Illiq́; fuit templum Romæ *Serapium* dictum, de quo Strabo; ibiq́; extrema cum laſcivia cantabant & tripudiabant viri & mulieres.

Hoc idolum ſuperſtitioſè in primis colebat Veſpaſianus, vt legere eſt apud Tacitum & Suetonium. Contrà cùm illi fidem non ha- *Tac. hiſt. l. 4. Suet. Veſp. c. 7*

buiſſet Cambyſes Aſſyriorum Rex, Apinq; enſe in fœmore percuſſiſſet, vt ſi flueret ſanguis deprehenderetur non eſſe Deus, ſacrilegij pœnas dediſſe fertur, & rabioſus obiiſſe. De futuris ab eo petebantur oracula, & reſponſa dabat. Nonnunquam ex ſolo illo Bove ſacro captabantur omina. Si pabulum oblatum à ſciſcitantibus placidè & voluntariè excepiſſet, eventus proſperos præſagire credebatur; ſi verò averſaretur & abnueret ſumere, ſiniſtrum erat omen: quod expertum eſſe Germanicum
Plin. l. 8 cap. 46. refert Plinius, è cuius manu oblatum pabulum noluit ſumere; id enim illi brevi futuram cædem, quæ & evenit, præſignificaſſe ait.

Ab hoc oraculo deluſus eſt Hannibal, cui de fatis ſuis interroganti reſpondit.

Λιβύσσα κρύψει βῶλος Ἀννίβα δέμας
Libyſſa teget gleba Hannibalis corpus.

Quod Hannibal ſic interpretatus eſt, quaſi ipſius corpus in Lybia, id eſt in Aphrica componi deberet, & moriturus eſſet in patria ſua, à qua extorris erat. At Oraculum innuebat Libyſſam fluvium Bythiniæ, in quo paulò poſt Hannibal venenum hauſit, ne in manus Romanorum veniret.

Ficti iſtius Dei Idolum tanta veneratione,

tantoq;

tantoq́; metu colebatur, vt vulgò crederetur, ſi quis id præter Antiſtites contigiſſet, ſubitò terram in voragines horrendas apertum iri, quibus profanus ille ſacrorum violator abſorberetur. Eaq́; licet vaniſſima opinio, multos Chriſtianos pavore perculerat. Cùm enim Theodoſius edictum promulgaſſet de Idolo Serapidis diruendo, milites Chriſtiani quibus lege agere mandatum erat, coram eo meticuloſi ſtabant, nec attingere audebant; cùm demum vnus arrepta ſecuri inſurgens omni niſu, ſtatuam Dei veteratoris fruſtulatim conſcidit, & conſciſſam igni dedit, nullo ſuo periculo. Invaluerat præterea opinio apud Aegyptios, inundationem Nili, ex qua fœcundatur tota regio, Serapidis providentia procurari. Verùm poſt everſionem Templi & eius ſimulacri, tanta ſecuta eſt Nili exundatio, tantaq́; terræ vbertas, vt anteactis ſeculis nulla vnquam maior viſa eſſet.

Ruff. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 23.

Non minore autem ſuperſtitione colebatur Iſis, Oſiridis vxor; vt quæ corporibus morbos immittere crederetur, de qua Iuvenalis Satyra 13. l. 5.

Decernat quodcunque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro.

Sacra etiam Iſiaca, in vtriuſque coniugis honorem excogitata ſunt. Quia verò horum ſacrorum myſteria tecta eſſe decebat, & plebi incognita; ea ſilentio tegebantur. Ideo Silentij ſtatua quæ *Sigalion* dicebatur, in altaris principio erigebatur: ob eamq́; cauſam Sphyngum ſimulacra ad altaris angulos addebantur, quæ arcanam rerum ſacrarum cognitionem denotabant.

Iſidi item conditum erat Templum Romæ in campo Martio, de quo Iuvenalis Sat. 6.

A Meroë portabit aquas, vt ſpargat in ædem
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ovili.

Eam cum marito ſolebant anſere colere & popano, id eſt placenta tenui, lata & rotunda, teſte Herodoto lib. 2. Eratq́; in eo templo argentea ſerpens cui ſuperſtitioſi fundebant preces; ſi propicium numen eſſet, id motu capitis ſerpens illa indicabat: ita enim Iuvenalis ibidem.

Ille petit veniam &c.
Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens
Illius lacrymis; meditataq́; murmura præſtant,
Vt veniam culpæ non abnuat, anſere magno
Scilicet, & tenui popano corruptus Oſiris.

Anubis quoque Oſiridis & Iſidis filius, in maxima

xima veneratione erat ſuperſtitioſis illis beſtiis. Hunc canino capite effingebant, & ſub ea ſpecie colebant, quòd in inſigni canem geſſit: de hoc ſic idem Iuvenalis Sat. 6.

Ergo hic præcipuum ſummumq; meretur honorẽ
Qui grege linigero circundatus, & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

Deriſorem vocat, quia nebulo ille ſciebat talibus ſacris populum ludibrio haberi; & *calvum gregem*, quia huius, vt & Oſiridis ſacra celebraturi, capillum funditùs deradebant.

Canem coluerunt Aegyptij, iuxta illud Poëtæ.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam;

Idq; ideò quia canis, Oſiridis à fratre trucidati cadaver indagavit; quâ de causâ in ſacris Oſiridis & Anubis, canes præcedebant. Sanè in tanto apud eos cultu erant, vt tota domus in qua canis extinguebatur, toto corpore raderetur, quod maximum apud Aegyptios luctus indicium. *Lactantius de falſ. ſap. lib. 5. cap.* 20.

Proteus Oceani et Tethÿos filius.



Audiit ambiguis Aegÿptus Protea Verbis
Narrantem ſummi mÿſtica ſenſa Iovis.

PROTEVS

PROTEI fabula nota eſt ex Homero *Odyſſ.* 4. & Virgilio *Georg.* 4. Narrant fuiſſe Neptuni & Phœnicæ nymphæ filium, eundemq; Neptuni paſtorem. Morabatur ſub ingenti ſpecu. Ibi ei mos erat ſub meridiem gregem ſuum Phocarum numerare, atque deinde ſomno ſe tradere. Is vates præſtantiſſimus & veluti termaximus habitus eſt, qui non futura ſolummodò, ſed & præterita ac præſentia noſcet; de eo enim ſic Virgilius. *Georg.* 4.

Cæruleus Proteus &c.

——— *Hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe*
Grandævus Nereus; novit namq; omnia Vates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahãtur.
Quippe ita Neptuno viſum eſt.

Hunc tradunt reſponſa dediſſe poſcentibus non minùs certa quàm Apollinem, idq; non ſolùm poſtquam defunctus ad Deos tranſlatus eſt, ſed dum in vita ſuperſtes erat. Qui autem opera eius vti volebat, is non alio modo apud eum valere poterat, niſi manicis comprehenſum vinclis conſtringeret. Ille contrà, vt

ſe liberaret, in omnes formas, atque rerum miracula ſe vertere ſolebat; vt nunc animal, quandoq; ignis, aut aqua, aut quid aliud videretur. Virgilius.

Hunc vbi correptum manibus, vinclisq́ tenebis:
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum.
Fiet enim ſubitò ſus horridus, atraq́ tigris,
Squamoſusq́ draco, & fuluâ ceruice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atq́ ita vinclis
Excidet; aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed quantò ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tantò, nate magis contende tenacia vincla.

Inde natum adagium Πρωτέως ποικιλώτερος, *Proteo mutabilior*, adverſus vafros & verſipelles. Huius figmenti varij varias afferunt cauſas. Diodorus Siculus lib. 2. Herodotum ſecutus, ad Aegyptiorum Regum morem id refert, quibus familiare fuit, draconis, leonis, tauri, pardi vel alicuius feræ partem priorem capite geſtare, vt populis terribiles viderentur: aliquando ignem, vel aromata, aliaq; quæ ad decorem facerent, aut ſuperſtitionem aſpicientibus iniicerent. Aiunt verò Proteum Iliaci belli tempore, quum Aegyptus rege careret, in regem aſſumptum eſſe, quem Cetea appellarunt; laudatumq; fuiſſe vt Principem iuris humani diviniq;

diviniq; cultorem inſignem ; religionis , iuſticiæ, recti æquiq; obſervantiſſimum.

Lucianus, Protea illum ſe commutantem in diverſas rerum facies, non alium intelligit quàm ſaltatorem eximium, aut pantomimum, ad effingendum quicquid omninò collibuiſſet, velut Empuſa, docilem. Alij virum ſapientiſſimum fuiſſe autumant , qui ſcripſerit de Plantis, de Lapidibus, de Elementorum mutatione mutua, & quo modo illa ſint principia omnium naſcentium, quę modò arbores fiunt, modò herbæ, vel animalia. *Luci. Comm. de Saltat.*

Alij ſenſu fabulæ ad abdita Naturæ , & conditione materiæ referunt. Sub PROTEI enim perſona, inquiunt, Materia ſignificatur omnium rerum poſt Deum antiquiſſima. Materia autem ſub Cœli concavo , tanquam ſub ſpecu habitat. NEPTVNI verò mancipium eſt, quia omnis Materiæ operatio & diſpenſatio in liquidis præcipuè exercetur. Pecus, ſive Grex PROTEI, non aliud videtur eſſe quàm ſpecies ordinaria Animalium, Plantarum, Metallorum, in quibus Materia videtur ſe diffundere, & quaſi conſumere; adeò vt poſtquàm iſtas ſpecies effinxerit, & abſolverit, tanquam penſo completo, dormire & quieſcere videa- *Baco de Sap. Vet.*

tur, nec alias ampliùs ſpecies moliri, aut parare. Atque hæc eſt *Protei* pecoris numeratio, & ſubinde ſomnus. Hoc autem ſub meridiem non auroram & veſperum fieri dicitur, id eſt, cum tempus iam venerit, quod ſpeciebus ex materia debitè præparata, & prædiſpoſita perficiendis, & excludendis maturum ſit, & quaſi legitimum & inter rudimenta earum, & declinationes medium; quod nos ſatis ſcimus ex Hiſtoria ſacra ſub tempus ipſum creationis fuiſſe. Tum enim per virtutem illam verbi divini, *Producat*, Materia ad imperium Creatoris, non per ambages ſuas, ſed ſubitò confluxit & opus ſuum in actum perduxit, ac ſpecies conſtituit. Atque huc vſque fabula narrationem ſuam de *Proteo* libero, & ſoluto cum pecore ſuo, complet. Nam vniverſitas rerum cum ſtructuris, & fabricis ſpecierum ordinariis, eſt Materiæ non conſtrictæ, aut devinctæ, & gregis materiatorum facies. Nihilominùs ſi quis peritus Naturæ miniſter, vim adhibeat materiæ, & materiam vexet, tanquam hoc ipſi deſtinato & propoſito, vt illam in nihilum redigat: illa contrà in tali neceſſitate poſita in miras rerum transformationes & effigies ſe volvit & vertit: adeò vt tandem in orbem ſe mu-

tet

tet, & periodum impleat, & quaſi ſe reſtituat, ſi vis continuetur. Eius autem conſtrictionis, ſeu alligationis ratio magis facilis erit, ſi materia per manicas comprehendatur, id eſt, per extremitates. Quod autem additur in fabula, *Proteum* Vatem fuiſſe, & trium temporum gnarum; id cum materiæ natura optimè conſentit. Neceſſe eſt enim vt qui materiæ paſſiones, & proceſſus noverit, rerum ſummam, & earum quæ factæ ſunt, & quæ fiunt, & quæ inſuper futuræ ſunt, comprehendat, licet ad partes & ſingularia cognitio non extendatur.

Paliſci Iovis et Thaliæ filij .



Pingue ſacrificium Siculis celebrate Paliſcis,
Trinacriam ſterilem ut fertilitate beent.

PALICI

THaliam Vulcani filiam, præſtantis formæ Nympham à Iove adamatam fabulantur: à quo & compreſſa eſt. Hæc vbi ſe vterum geſtare agnovit, metuens Iunonis adverſus pellices crudelitatem, cum gemitu & lacrymis aſſiduò mortem exoptabat; imò conceptis verbis vt terra ſibi dehiſceret, oravit. Factum eſt, eam terra in ſua viſcera recepit & abſcondit, tantiſper donec expleto partus tempore, gemellos pareret, qui recluſa terra emerſerunt, appellatiq́; ſunt *Palici*, ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, quòd in terram priùs merſi, denuò inde reverſi ſint, vt ait Macrobius *Saturn. l.5.* Sed has eſſe gerras Siculas, probat Doctiſſ. Bochartus *Geogr. l.1. c.18.* ideo à poëtis confictas, vt è Græcâ linguâ Palicorum nomen peterent; quod ille affirmat eſſe planè Punicum. פליחין *Palichin* enim vel *Pelichin*, à פלח pelach, quod colere & venerari Syris ſignificat, deducit; vt Palichim quaſi colendos ſonet: quo eos epitheto Aeſchylus inſignivit, σεμνοὺς Παλίκους, *Venerabiles Palicos* vocans. Narrant enim adultos iuvenes, ſui ævi homines omni

virtutum genere longè ſuperaſſe, & populares ſuos innumeris adiuviſſe beneficiis: Ideoq; defunctos, prima veneratione cultos eſſe in Sicilia vbi nati dicebantur. Eos enim in cœlum receptos vita æterna frui, ſupremæ Divinitati aſſidere, & communicata à Deo poteſtate genus hominum conſervare, ſeq; invocantibus adeſſe in rebus adverſis, affirmabant. Palicos, inquam, vt Deos Penates & ἐντοπίους, quorum ſe numinibus protegi putabant, venerati ſunt Siculi. Templum illis erexerunt, Sacerdotes inſtituerunt, qui eorum laudes quotidie decantarent, iiſq; ſacra facerent. Cùm fatidicos crederent, eorum oracula ſtudioſè requirebant. Iuramenta de rebus magni momenti circa duos lacus è quibus emerſiſſe dicebantur, exigi ſolebant; vbi præſens & efficax numen oſtendi credebatur. Nam ſi quis falsò deieraret, eum eodem in loco acerbiſſimis cruciamentis, ſpectantibus omnibus, torqueri proditum eſt. Silius lib.14.

Et qui præſenti domitant periura Palici
Pectora ſupplicio.

Palicorum venerationem auxit inſuper, quod cùm in ſterilitate, Siculi Heroï cuidam ſacra feciſſent, ita iubente Palicorum oraculo,

redii

rediit agrorum fertilitas, vt refert Macrobius. His tantùm ſibi authoritatis conciliarunt vt non modò Siculi, ſed circumvicinæ regiones Palicos prima religione coluerint, ceu Deos Alexicacos. Eorum fanum multis ditavit donariis ſtulta veterum ſuperſtitio. Atque illud deſcribit Diodorus lib. 11. tanquam magnificè extructum porticibus & aliis diverſoriis ſplendidè ornatum. Servoſq; addit à Dominis eò confugientes, habuiſſe aſylum inviolabile. Vrbs quoq; *Palice* horum nomine eſt ædificata. Circa eorum aram choreas agitabant puellæ coronatæ floribus, ſparſiſq; capillis; tibicines melos concinebant, circumfusâ populi coronâ & applaudente.

Mercurius Triſmegiſtus.



Quòd Iove ſis genitus magno, vis enthea mentis
Divinæ, et coeli cognitio alta probat.

MERCVRIVS TRISMEGISTVS

TRadunt Mercurium Triſmegiſtum patrē habuiſſe Philonem, qui ex Proſerpina filia, quam in balneo compreſſerat, generavit hunc filium; cùm verò eum exponere cogitaret propter inceſti dedecus, vatem quendam conſuluiſſe, qui reſpondit puerum ex filia natum, fore maximum & doctiſſimum rerum divinarum interpretem, eiuſq; nomen inter homines celeberrimum. Philo tali accepto reſponſo, mutavit ſententiam, puerumq; ſummâ curâ educari & liberalibus omnibus diſciplinis inſtitui curavit; adeò vt propter doctrinam & ingenii acumen, omnibus admirationem brevi moverit. Ideo Sol dictus eſt, quod quaſi eſſet lumen mundi, ob præſtantem rerum omnium ſcientiam. *Theut* ab Aegyptiis vocatus eſt. *Triſmegiſtus* autem Græcis, id eſt, *Ter Maximus*; vel quia Trinitatis myſterium primus inter Ethnicos agnovit, vt vult Suidas; vel quia & Philoſophus maximus, & Sacerdos maximus, & Rex maximus exſtitit. Mos enim erat Aegyptiis, vt Plato ſcribit, ex Philoſophorum

numero Sacerdotes, ex Sacerdotum cœtu Reges eligere. Ille igitur, quemadmodum acumine atque doctrina Philoſophis omnibus anteceſſerat, ſic Sacerdos inde conſtitutus, ſanctimonia vitæ divinorumq; cultu, vniverſis Sacerdotibus præſtitit; ac demum adeptus regiam dignitatem, adminiſtratione legum, rebuſq; geſtis, ſuperiorum regum gloriam obſcuravit. Inde *ter Maximum* dictum putant. Nomen eius proprium ob reverentiam quandam pronunciare vulgò ac temerè non licebat. Primus tamen anni menſis apud Aegyptios, nomine eius cognominatur. Is ſi Iamblico fides, ſcripſit librorum plùs triginta ſex millia: quadraginta duos tantùm numerat Clemens Alexandrinus, qui horum catalogum accuratè inſtituit *lib. 6. Stromatum*. Ex his Theologiam ſuam, & quicquid habet de Creatione mundi, ſe hauſiſſe fatetur Sanchoniathon. In illis quædam habentur ſcriptis Moſis valdè conſona. Non, vt ſtatuunt nonnulli, quod Moſes ea à Triſmegiſto, quem putant Pharaonis tempora præceſſiſſe, mutuatus ſit; fuit enim Moſes θεοδίδακτος; ſed ea didicit Hermes à Chaldæis, Iudæis, & Aegyptiis, qui hanc doctrinam à primis Patribus, quaſi per manus acceptam, &
diu

diu in ſua puritate ſervatam, retinuerunt; quæ paulatim Dæmonum aſtu & hominum negligentiâ, obſcurata eſt & extincta. Multa itaque ſcripta reliquit Triſmegiſtus, *De cognitione rerum divinarum*; *De vno Deo*; *De omnium rerum per Filium creatione*; *De Providentiâ*, & aliis. Cæterùm quin nonnulla à Chriſtianis ficta, & Hermeti falsò adſcripta ſint, non eſt dubium. Qui enim Pimandri nomine liber inſcribitur, prorſus ſuppoſititius eſt & adulterinus: nam de Chriſto multa adeò clara prædicat, vt non ab Ethnico homine, Moſe, vt creditur, antiquiore, ſed à Chriſtiano aliquo concinnatum eſſe, tota libri textura demonſtret. Hermes autem diu præfuit Aegyptiis, iiſq; leges ac literas tradidit; literarum verò caracteres in animalium, arborumq; foliis inſtituit. In eius honorem ædificarunt Aegyptij Hermopolim, *id eſt*, Mercurij vrbem; *Hermes* enim apud Græcos eſt *Mercurius*. Poſt obitum, pro Deo creditus eſt & divinis honoribus cultus, non modò in Aegypto, ſed per totum terrarum orbem, templis illi ariſq; & ſacrificiis dicatis. Inter cæteras eius ſtatuas, vna fuit lapidea in Achaia Pharis, quæ oracula reddebat. Ad eam ſub veſperam thus incendebatur in ara, lucer-

næ replebantur oleo, & ad dexteram ſimulacri manum, reponebatur nummus aheneus, preceſq; auribus Idoli obmurmurabantur: Quibus ritè peractis, ſciſcitantes diſcedebant è Templo, obturatis auribus; egreſſiq; foras, quam primò vocem, apertis auribus excipiebant, reſponſi loco interpretabantur, tanquam à Mercurio emiſſam.

TELEMVS

Telemus Eurymi filius.



Inſpirante Deo Fatorum arcana recludo,
Lymphatum quoties enthea flamma ſubit.

TELEMVS

TElemus Neptuni & Erumæ Nymphę filius, vnus fuit è Cyclopibus, qui ita dicti ſunt à rotundo orbiculatoq; oculo, quem vnum habebant, eumq; in fronte poſitum, à κύκλος orbis, & ὤψ oculus. Telemum, ab alijs fratribus, pietatis ſtudio & animi moderatione, longè diverſum fuiſſe tradunt; tantùmq; abeſſe vt cum fratribus in Superos conſpiraverit, qui ideò fulmine icti ſunt, vt contrà religionis & cultus Deorum, obſervantiſſimus fuerit. Ideò virtutibus ſuis, Cœlitibus, Apollini inprimis chariſſimus fuit, qui illi divinandi ſcientiam tribuit; vt eius conſilio vterentur homines tanquam Dei conſilio, Inter alias prædictiones, fertur Polyphemo fratri prænunciaſſe, venturum Vlyſſem qui illum lumine privaret, ob contemptum Deorum & tyrannidem. Ovidius Metam.l.12.

Telemus interea Siculum delatus in æquor,
Terribilem Polyphemum adit; lumenq́; quod vnũ
Fronte geris mediâ, rapiet tibi, dixit Vlyſſes.

IAPYX

Iapyx Iaſij filius.



Venturos caſus præſcire et dicere cauſas,
Auguria et lauros noſcere Apollo dedit.

IAPYX

IApygem Dædali, vel vt alij volunt, Iaſii filium, ſcientiâ vaticinandi illuſtrem celebrant Poëtæ. Hunc Apollini dilectum fuiſſe, & artibus variis ab eo donatum, Medicina, Muſica & Augurio, his canit Virgilius *Aeneid*.12.

Iamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Iapyx
Iaſides, acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Auguriū cytharamq; dabat, celereſq; ſagittas.

Medicinæ etiam ſe inprimis addixit, vt levaret parentem iam ſenem & infirmum, vt ibidem Maro.

Ille vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, vſumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Hinc, vt obſervat Servius, *Iapyx* aptum nomen medico, nam ἰάσθαι Græci dicunt curare. Ab hoc Iapyge, *Iapygia* dicta eſt pars Apuliæ, à quâ & Iapyx ventus eſt nominatus; qui de Apulia flans, optimè ad Orientem ducit. Vide *Servium in Aen*.8. Ideo vtilis Athenas petentibus ex Italia. *Horat.l.*1.*Ode* 3.

TIRESIAS

Tyreſias Thebanus.



Iuno abcæcavit: ſed mî pro lumine adempto
Iuppiter omnipotens ſcire futura dedit.

TIRESIAS

VVlgò nota eſt ridicula Tireſiæ fabula; quia tamen is nomen obtinet inter vates Ethnicos, ſuus illi hîc debetur locus. Thebis Bœotiis natus dicitur, & inter ſuos primarius. Cùm forte in Citherone monte Bœotiæ vagaretur meditabundus, incurrit in duos angues ſimul cœuntes: quo ſpectaculo offenſus, ſcipione quem tunc manu gerebat, fœminam percuſſit & interemit. Dij quibus illi ſerpentes ſacri erant, Tireſiam in fœminam commutarunt. Tum ſexu alio adſcito, verecundia ſuffuſus, Thebas revertitur, & inter mulieres per ſeptennium verſatur. Verùm cùm in Citheronem iterùm aſcenderet, ex ſerpentibus quos prius viderat, marem offendit, quem baculo illiſum interfecit, ſubitòq; ſenſit ſe maſculum ſexum recuperaſſe. Contigit aliquandiu poſtea, vt Iupiter nectare diffuſus per pocula, vt fit, cũ Iunone iocos agitans, aſſereret in coitu maiorem eſſe mulierum, quàm quæ contingit maribus voluptatem. Illa negabat, cùmq; vterque contenderet ſuam ſententiam veram eſſe, optimum

optimum factu iudicatum eſt, vt iocoſæ liti dirimendæ, aſciſceretur arbiter. Placuit Tireſiam accerſiri, qui vt ſexum vtrumque expertus erat, optimè omnium pronunciare poſſet. Is ad conſilium Deorum admiſſus, & ſententiam rogatus, dicta Iovis firmavit. Hoc iuſtò graviùs, nec pro materiâ, doluiſſe fertur Iuno, & iudicem excæcatum æterna damnaſſe nocte. Iupiter cùm non poſſet factum vxoris infectum reddere.

—— Neque enim licet irrita cuiquam
Facta Dei feciſſe Deo

pro viſu adempto, divinationis ſcientiam Tireſiæ largitus eſt,

Scire futura dedit, pœnamq́; levavit honore. Ovid.
Ille per Aonias fama celeberrimus vrbes,
Irreprehenſa dabat populo reſponſa petenti.

Huius celebratur vaticinium de Narciſſo, cùm ad eius parentes de fato filij conſulentes, reſpondit, *Tandiu ſuperſtitem fore puerum, quandiu à ſui conſpectu abſtineret.* Quod de Apollonio Tyaneo alijſq; infrà dicetur, id ipſum de Tireſia traditum, intellexiſſe ſcilicet avium, omniumq; aliorum animalium ſermonem Fuit verò Pyromantis vel Capnomantis, id eſt ex eorum Magorum genere qui obſervabant ſacrificij

ignem & fumum, item rogi; & ex eo divinabant. Sic enim Papinius de Tireſia *in Thebaid. lib.* 10.

Ille coronatos iamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.

Capnomantiâ vſos Iudæos, & conſideraſſe an fumus qui ex victimarum ſacrificio aſcendebat, rectus aſcenderet an in obliquum vergeret, docet Theophylactus *in Oſe. capite* 4. Tireſiam vt inſignem Necromantem deſcribunt Seneca Tragicus, & Statius. Ille *in Oedipo*, canit in nemore obſcuro denſitate arborum, Tireſiam Laii manes magicis artibus elicere tentaſſe.

——— *Funeſto*, inquit, *integit*
Vates amictu corpus, frontem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes &c.
Vocat inde manes, teq́ qui manes regis,
Et obſidentem clauſtra lethalis lacus.
Carmenq́ magicum volvit, & rabido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leves
Aut cogit vmbras.

Statius hoc ipſum Tireſiæ elicium deſcribit copioſiſſimè, aitq; eum ſolitum huic præcipuè divinationi relictis aliis vacaſſe. Carmine hoc magico invocat Infernum ſeu Tartarum.

Tartareæ

Tartareæ ſedes & formidabile regnum,
Mortis inexpletæ, tuque ô ſæviſſime fratrum,
Cui ſervire dati manes, æternaq; ſontum
Supplicia, atque imi famulantur regia mundi.
Solvite pulſanti loca muta & inane, ſeveræ
Perſephones &c.

Cùm verò exire ceſſarent Manes, nec moram ferret Tireſias, hiſce indignationem teſtatur.

Atque hic Tireſias, nondum adventantibus vmbris,
Teſtor, ait, Divos quibus hunc ſacravimus ignem,
Iam nequeo tolerare moram. Caſſuſnè Sacerdos
Audior; an rabido iubeat ſi Theſſala cantu
Ibitis? &c. *Noſtri cura minor?* &c.
Ne tenues annos, nubemq; hanc frontis opacæ,
Spernite, ne moneo; & nobis nocere facultas.

Tireſias longam adeptus ſenectutem, & ampliſſimis honoribus à Græcis ob prædictionum certitudinem ornatus, ad montem Telphoſſum ſeceſſit; vbi privatus reliquum vitæ exigeret, remotus ab vrbanis tumultibus. Sub eo monte, fons ſcaturit limpidiſſimus, & frigiditate ſua noxius; de cuius aquis, vt ait Ariſtophanes, cùm Tireſias iam gravi preſſus ſenio largiter bibiſſet, ſanguine congelato &

coaleſcente extinctus eſt; ibidemq́; ſtructo ſepulcro tumulatus.

Illi poſt mortem Græci divinos honores tribuerunt, & ſacrificia quotannis inſtituerunt; reſponſaq́; petiverunt multis ceremoniis ab eius manibus. Homerus *Odyſſ.* 10. introducit Vlyſſem evocantem animam Tireſiæ, vt ab ea edoceretur de rebus futuris.

Mopſum nepotem habuit, vaticinandi ſcientia avo non inferiorem. Is fuit Sibyllæ Manto filius. De quibus infrà.

Plutarchus affirmat ſuo tempore defeciſſe Tireſiæ oraculum, & velut feriatum conticeſcere.

MOPSVS

Mopſus Apollinis filius.



Neſcius eſt Calchas Caprificus in arbore poma
Quot gerat: Hoc verbis exprime, victor eris.

MOPSVS

STrabo *Coſmograph. l. 9.* tres commemorat Mopſos: Lapitham Argonautarum navigationis comitem: Alterum a quo Attica, Mopſopia eſt appellata: Denique Mopſum Apollinis & Mantûs fatidicæ mulieris filium. Hic ab vtroque parente vaticiniorum ſcientiam edoctus, de futuris adeò certa reddidiſſe fertur oracula, vt in Proverbium abierit, *Mopſo certior*, de eo qui citra errorem futura prædicebat. Hic ipſum Calchantem, augurem alioqui eximium, divinandi ſcientia ſuperaſſe traditur. Aiunt enim Calchantem cum Amphilocho Amphiarai filio, terreſtri itinere è Troiano bello redeuntem, in Mopſum incidiſſe; cùmq; inter ſe de divinandi peritia decertarent, quæſiviſſe à Calchante Mopſum, quot in obvia arbore ficus eſſent, quod ille ſe ignorare faſſus eſt: Viciſſim Calchantem ſciſcitatum de prægnanti ſue oblata, quot geſtaret porculos; Mopſum illicò tres eſſe dixiſſe, & ex ijs vnam fœminam; quod exenteratâ ſcrofâ verum eſſe deprehenſum eſt: Calchantem cùm Mopſo

palmam

palmam cedere cogeretur, pudore & ægritudine objiſſe.

Super Mopſi morte ita cecinit Apollonius *Argonaut.* 4.

Ἔνθα ᾗ Ἀμπυκίδην αὐτῷ ἐνὶ ἤματι Μόψον
Νηλειὴς ἕλε πότμος, ἀδευκέα δ᾽ οὐ φύγεν αἶσαν
Μαντοσύναις, οὐ γάρ τις ἀποτροπίη θανάτοιο.

Id eſt —— *Vbi & Ampycidem die illa Mopſum*
Crudelis mors abſtulit, amarulentum verò non vitavit fatum
Vaticiniis; non enim mortis evaſio vlla.

In Libya obiiſſe, nec mortem prævidiſſe ſuam, teſtatur Seneca in Medea,

—— Serpens Libycis arenis
Omnibus verax, ſibi falſus vni
Concidit Mopſus, caruitq; Thebis.

Ibi *ſerpens*, vt obſervat *Cœlius Rhodiginus*, non eſt verbum, ſed participium. Eſt enim verborum ſtructura, *Mopſus ſerpens, Id eſt*, oberrans & vagabundus, obiit in Libya.

Plutarchus *De defectu Oraculorum*, ſcribit Mopſum poſt mortem, habuiſſe *Manteium*, ſacellum in quo reſponſa dabat. Lactantius eum augurio eatenus nobilem ſcribit, vt poſt mortem Templa quoque ei ſint dicata, quæ oraculi gratiâ ſæpè adirent homines.

Calcas Theſtoris filius.



Numina prœdixi ſacris placanda Dianœ:
Pergama et ante annos non ruitura decē.

CALCHAS

CAlchas divinandi ſcientia Græcorum celeberrimus Augur, fuiſſe dicitur nepos Apollinis, Theſtoris filius. Hunc Agamemnon Græcorum Imperator ſecum duxit cùm adverſus Phrygiam profectus eſt, Helenam Menelaï fratris vxorem à Paride, Priami Troianorum regis filio, raptam, repetiturus. Ea in expeditione variis reſponſis claruit Calchas. Primò in Aulide, dum enim illic colligendis copiis & congregandæ claſſi, moratur Agamemnon, fortè in venationem profectus, imprudens cervum Dianæ ſacrum interficit. Vnde irata Dea, contrariis ventis Græcorum navigationem retardat. Calchas ea de re conſultus reſpondet, Dianam nonniſi Agamemnonis ſanguine placari poſſe. Filiam itaque ſuam Iphigeniam, Dianæ immolandam tradit Agamemnon.

Iterùm dum in Aulide adhuc erant Græcorum copiæ, & ſacra inſtitueret Calchas, vidit ſerpentem per arboris ramos ſinuoſo volumine irrepentem in nidum paſſerum, ex quibus

novem depaſtus eſt cum ipſa matre. Hoc augurio Calchas prædixit Græcis, Troiam nonniſi poſt decennalem obſidionem captum iri. Hunc caſum ſic enarrat Homerus *Iliad.* β, vt Latinè convertit Cicero *de Divinat. lib.* 2.

Argolicis primùm vt veſtita eſt claſsibus Aulis
Qua Priamo cladem, & Troiæ, peſtemq́ ferebãt;
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris divûm placantes numina tauris,
Sub platano vmbrifera, fons vnde emanat aquaî,
Vidimus immani ſpecie, tortuq́ draconem
Terribilem, Iovis vt pulſu penetravit ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſæptos
Corripuit pullos: quos cùm conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniavit viſcera morſu.
Hunc, vbi tã teneros volucres, matremq́ peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmavit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in mediis divum verſarier aris.
Tum Calchas hæc eſt fidenti voce locutus.
Quidnam torpentes ſubitò obſtupuiſtis Achivi?
Nobis hæc portenta Deûm dedit ipſe Creator,
Tarda & ſera nimis: ſed fama ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis:

Tot

Tot nos ad Troiam belli exantlabimus annos,
Quæ decimo cadet, & pœna ſatiabit Achivos.
Edidit hæc Calchas.

Denique dum Græci Troiam obſidebant, exorta eſt in caſtris gravis peſtilentia, qua exercitus paulatim peribat. Conſultus Calchas reſpondit, Apollinem iratum immiſiſſe hanc luem in Græcos, ob non reſtitutam Chryſæ Apollinis ſacerdoti filiam, quam captam detinebat Agamemnon. Suaſu igitur Calchantis, Achilles Chryſeidem ademit Imperatori & Chryſæ patri reſtituit; quo facto deſiit lues. *Hom. Il. a.*

Eiuſdem Calchantis conſilio ſe deſtinatum aræ querebatur apud Virgilium, ſtropharum artifex Sinon.

De Calchantis obitu dictum eſt in Mopſo. Filiam habuit Lampuſiam illam fatidicam, de qua infrà.

Idmon Apollinis et Aſteries filius.



Divinandi artem genitor me inſtruxit Apollo
Ictus at a Libyco nil minus angue cado.

IDMON

PRodunt Pindarici Interpretes, Argonautas illos qui Iaſonem ſecuti ſunt in expeditione Colchicâ, vt aureum vellus inde reportarent, tribus vſos vatibus, Mopſo, Idmone, & Amphiarao. Quidam Idmonem non alium eſſe â Mopſo volunt, & Mopſum *Idmona* appellari, ob multam rerum & vaticinij peritiam. Nam & qui proprio nomine Theſtor dicebatur, antiquitùs *Idmona* nuncupatum, ob inſignem experientiam, teſtis eſt Apollonij Interpres; quod Chamæleontis comprobat authoritate. Plerique tamen volunt Idmona Vatem fuiſſe Apollinis & Aſteries filium, qui à Phœbo parente divinandi ſcientiam accepit, & in ea clariſſimus evaſit

Cùm Principes Græciæ conſilium iniiſſent de auferendo vellere aureo quod Colchis aſſervabatur, de quo erat in fatis, regnum illud florentiſſimum fore, vbi cuſtodiretur integrum; Idmon prædixit Græcis, eos voti compotes futuros, ſi Diis faventibus profectionem in Colchos ſuſciperent. Placatis igitur Superis,

ſacrificiiſq; ſolemni ritu peractis, conſilio Minervę monitus Idmon, navem maiorem quàm eo tempore fieri conſueverat, fabricari curavit: facta igitur eſt ea navis ex roboribus Dodoneis, quæ olim vocalia fuiſſe & oracula reddidiſſe fama erat. Confectam affabrè, omnibuſq; ad navigationem neceſſariis inſtructam, conſcenderunt Argivi, qui Argonautæ dicti ſunt, ab Argo nave. Quinquaginta quatuor fuiſſe Argonautas tradunt; è quibus præcipui fuerunt Iaſon, Hercules, Zetes & Calaïs, Caſtor & Pollux, Orpheus, Mopſus, Theſeus, Telamon, Idmon & Argus architectus, qui navem fabricaverat. Cùm ergo ad Colchos appuliſſent, & vellus aureum ab Aëthe rege petiiſſent, iiſq; eſſet denegatum; bellum illi intulerunt. Erat vellus illud in Templi penetralibus appenſum, quod Fauni æripedes, flammivomi, & indomiti, Dracoq; pervigil horrendæ magnitudinis, cuſtodiebant. Hæc impedimenta cùm ſuperare perdifficile eſſet, Medea Aethes regis filia, Iaſonis amore capta, illum monuit quo pacto tauros domare, & vigilem draconem ſopire poſſet; quibus fæliciter peractis, vellus aureum abſtulit, & in Græciam detulit Iaſon. Obſervat Clar. Bochartus, navem

vem *Argo* dictam, non vt vulgò creditum, ab *Argo* conditore, aut ab Argivis in ea vectis, ſed à voce Phœnicum *Arco*, vel *Argo*; permutari enim paſſim C. & G. Argo autem navis, longam navem ſignificat, quâ tum primùm vſi ſunt Græci, cum ante Iaſonem, rotundis duntaxat navibus vterentur. Hinc Plinius lib. 7. c. 56. *Longa nave Iaſonem primùm navigaſſe Philoſtratus author eſt.* Id & addam ex eodem Bocharto. A Poëtis navem Argo loquacem fictam, vtpote conſtantem è ligno Dodoneæ ſilvæ quod humanas voces fundere dicebatur: qui error natus eſt à verbo דבר, quod Ebræis *loqui* ſignificat, & *regere* ſeu *moderari*, quia animos ſermone regimus & moderamur. Inde דוברה (*dobera*) *loquentem*, ſi participium, ſi nomen eſt *ratem* ſonat, quæ regitur & gubernatur: & Ebrææ voces עץ מדבר, tam reddi poſſunt, *Lignum loquax*, quàm, *lignum quod navem regit*.

Cæterùm Idmonem periiſſe ab apro percuſſum, ſcribit Apollonius. Qui ſerpentis morſu interiiſſe tradunt, ex perperam intellecto Senecæ *in Medea* loco ſuprà laudato, falluntur. Mortem autem ſuam præſciviſſe & prædixiſſe Idmona, affirmat Apollonius Argonauticon primo.

Αὐτὰρ ἐμοὶ θανέειν στυγερῇ ἐπὶ δαίμονος αἴσῃ,
Τηλόθι που πέπρωται ἐπ' ἀσίδος ἠπείροιο.

Id eſt. — *At mihi emori odioſi Dæmonis fato,*
Procul ſancitum eſt in Aſidis continente.

Sic Seneca *in Medea.*

Ite nunc fortes, perarate Pontum
Sorte timenda:
Idmonem, quamvis benè fata noſcet
Condidit.

AMPHIARAVS

MOPSO & IDMONI, expeditionis Cholchidę comitem Amphiaraum ſubiungimus. Hic Oeclis filius, originem longâ maiorum ſerie ad Iovem referebat. Inter Græcos Vates excellentiſſimus habitus eſt: Item in re militari fortitudine & prudentia clarus. Pauſanias ait Amphiaraum interpretandorum ſomniorum ſcientia præcellentiſſimum fuiſſe, eundemq́; futurorum cognitionem per ſomnia conſtituiſſe. Ad huius autem oraculum qui pergebant, purgari primùm oportebat. Purgatio erat vt Deo res ſacra perageretur, cui & omnibus quorum nomina in arâ ſculpta erant ſacrificabat. His peractis, mactati arietis pellis ſubſternebatur, atque ita ſoliti dormire, captantes ſomnii interpretationes. Ad quod alludens Virgilius *Æn.* 7. de Latino loquens, ait.

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſq́ petivit.

Pelli itaque incumbentes & dormientes, in ſomnis audiebant aut videbant ea quæ ſciſcitati erant: eaq́; à vate ſacerdote explicabantur.

Amphiarao

Amphiarao autem poſt obitum, propter divinationis peritiam & fatidica conſilia, templum erexerunt Oropii in Atticá, honoreſq́; divinos & aras, ac ſacerdotes decreverunt. Templum ex candido marmore præſtanti arte conſtructum eſt, ad quod ex tota Græcia conventus erat maximus, oraculum poſcentium. Philoſtratus *in vita Apollonij Tyanæi lib.* 2. tradit eos qui reſponſa ab Amphiarao petebant, diem integrum à cibo, & triduum à vini potu abſtinuiſſe. Refert Plutarchus *In vita Ariſtidis*, ante pugnam illam Platæenſem, Mardonium Perſici exercitus ducem, miſiſſe ſervum ſuum ad Amphiarai delubrum, vt pugnæ eventum exploraret. Cùm igitur ſervus ille noctu in victimæ ſpolio procumbens dormiret, per quietem ſibi viſus eſt adſtare ſacrorum Antiſtes, qui iuberet templo excedere, non enim licere barbaro in loco ſacro cubare; cùm verò Perſa cunctaretur, recuſaretq́; recedere, Sacerdos viſus eſt eum vi extrudere velle, & lapide impetitum humi proſtraviſſe. Somnium hoc pugnæ exitum depinxit, nam paulò poſt, commiſſo prælio ad Platæas, Mardonius ictu ſaxi percuſſus, occidit.

In templo Amphiaraï quod Thebis erat,

nulli Thebano captare vaticinia licebat. Cauſam hanc referunt. Dum adhuc eſſet in vivis Amphiaraus, eligendum Thebanis propoſuit, vtrum mallent ſe vti vate, vel propugnatore & defenſore. Thebani reſponderunt, malle ſe eum habere auxiliatorem; vaticinia ab Apolline qui Delphis erat, captaturos. Ideò poſt Amphiarai mortem nefas fuit Thebano cuiquam, in eius delubro ſomniis vaticinia expoſcere. *Herodot. l.8.*

Cùm Græci, Polynici adverſùm fratrem Eteoclem Thebanorum Regem auxilio irent, Amphiaraus eò vocatus eſt; ſed cùm præſciret, ſe ſi ad id bellum proficiſceretur moriturum, vt fata vitaret; conſcia vxore Eriphyle, ſe abſcondit in locum abſtruſum, vbi diu latuit. Tandem verò avara mulier, accepto torque aureo à Polynice, maritum latentem prodidit. Abſtractus itaque è latibulo Amphiaraüs, Thebas in militiam proficiſci coactus eſt, vbi & occubuit. Refert enim Plutarchus, aquilam eius haſtam abreptam ſuſtuliſſe in altum, moxq; demiſiſſe; eam verò terræ impactam lauri ſpeciem præbuiſſe. Inſequenti die, hoſtibus acri prælio ibidem congredientibus, terræ hiatu repentino hauſtum cum curru (quod

ἅρμα dicunt Græci) Amphiaraüm periiſſe. Conditam poſtea ibi vrbem, Harmatis cognomine inſignem. Verùm aliam huius nominis rationem aſſignat *Clariſſ. Bochartus*, cuius hæc ſunt verba; *Harma Bœotiæ locus erat columnis ſeptus, propter vatem Amphiaraum hiatu terræ ibi abſorptũ ita execrandus, vt fama ſit neque aves illis columnis inſediſſe, neque feras herbam attigiſſe in intercolumnio illo creſcentem. Harma igitur non à curru, vt volunt, ſed ab execratione dictus; id enim eſt Phœnicium* הרמה *Harma.* *Geogr. Sacr. p. 1 c. 6. Strab. l. 9. Pauſ. in Bœot.*

Cæterùm Eriphyle quæ marito necem acceſſiverat, id non impunè habuit; Alcmæon enim filius, cui antequam proficiſceretur Amphiaraüs, perfidiam matris declaraverat, ſtatim atque fatum patris audivit, matrem Eriphylem interfecit; in eam impius factus, vt mortem patris vlciſceretur.

Ita autem præcellens vates habitus eſt Amphiaraus, vt in proverbium abierit apud Amm. Marcellinum, *Si quid*, inquit ille, *in penetrali ſecreto, nullo miniſtrorum præſente, paterfamilias vxori in aurem ſuſurraſſet, velut Amphiarao referente, aut Martio, quondam vatibus inclytis, poſtridie diſcebat Imperator.*

Hunc affirmat Statius lib. 8. intellexiſſe voces avium.

Aruns Hetruſcus Haruſpex.



Fulminis agnoſco motus, Venasq; calentes
Fibrarum; atq; avium mobile remigium.

ARVNS

PLVRIMI in Hetruria divinandi ſcientiam per auguria & aruſpicia coluerunt. In his è primis eminuit Aruns Augur & vates celeberrimus; de quo Lucanus *lib.* 1.

Hæc propter placuit Thuſcos de more vetuſto
Acciri vates: quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit deſertæ mœnia Lunæ:
Fulminis edoctus motus, venasq́ calentes
Fibrarum, & curſus errantis in aëre pennæ.

Quoniam verò in Augures incidimus, de iis nonnulla præfari haud abs re erit. Augures propriè avium garritum obſervabant: Auſpices, volatum; ſed crebrò confunduntur. In avibus autem garritus, volatus & paſtus obſervabantur. Avium aliæ erant oſcines, quæ cantu ſeu garritu; aliæ præpetes, quæ volatu putabantur prædicere; harum rurſus variæ erant differentiæ, funebres, cliviæ, arculæ, volſcræ, remores, inebræ, aliæq; multæ, de quibus *Plinius l.* 10. *c.* 13. 14. 18. *Gellius l.* 6. *c.* 6. *Servius in Virgil Aen.* 2. *Feſtus in voce Oſcines.*

Auguria captaturi cœlum eligebant purum

& ſerenum. Lituum, qui erat baculus incurvus augurale ſignum, manu tenebat Augur, quo cœli regiones deſignabat, & metas intra quas contineri debebant auguria, metiebatur. Templum vocabantur illæ metæ, à contemplando. Poſt abſolutas preces, velato capite, toga duplici augurali candida, conſidebant; intentiſq; ad cœlum oculis, attentè expectabant ſi quæ ſigna ſeſe offerrent. Si obiiceretur avis aliqua, conſiderabant quo volatu ferretur, an obliquo, vel prono, vel ſupino motu corporis. Item, ad dextram vel ad ſiniſtram canerent oſcines.

Præterea gallinacei ad auguria captanda ſervabantur clauſi caveis, loco ſacro. Pullarius ſummo mane & primo diluculo, imperato de more ſilentio, caveâ reclusâ, offam pullis exhibebat: quod ſi ad oblatum cibum involarent galli, & avidè eum depaſcerentur, ita vt ex eorum roſtro aliquid laberetur & terram paviret, quod tripudium faceret ſoliſtimum, ex eo Augur felicem rerum ſucceſſum à Deo promitti aſſerebat.

Divinabant etiam aruſpices & extiſpices, ex inſpectione viſcerum victimarum, quas exenteratas diligentiſſimè explorabant; imò ipſas

ranas.

ranas. Iuven. —— *Ranarum viſcera nunquam Inſpexi.* Maximè circa hepar curioſi erant, quod in eo vaticiniorum ſedem propriam putabant; Alias quoque viſcerum partes, vt cor, folliculum fellis, lienem, pulmonem, exta, non minori ſedulitate contemplabantur, an omnia convenirent. Niſi enim omnia congrua eſſent, alienati numinis ſigna portendebant; ſi verò erant integra, Deos benevolos promittebant. Nugaciſſima commenta! quorum tamen neglectui, Romani clades P. Claudij & Lucij Iunij, bello Punico primo; & Flaminij bello ſecundo, tribuêre. *Iuven. Sat.3.l.1.*

Collapſam hominum ſocordiâ miram hanc ſcientiam & Reipublicæ adeò neceſſariam, pro ſingulari ſua ſapientia, reſtituit Claudius Imperator, *Retulit ad Senatum*, inquit Tacitus, *ſuper collegio haruſpicum, ne vetuſtiſsima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: ſæpè adverſis Reipublicæ temporibus accitis quorum monitu redintegratas ceremonias, & in poſterùm rectiùs: Primoresq; Etruriæ ſpontè aut Patrum Romanorum impulſu retinuiſſe ſcientiam & in familias propagaſſe: quod nunc ſegniùs fieri, publica circa bonas artes ſocordia, & quia externæ ſuperſtitiones valeſcant. Læta quidem in præſens omnia; ſed benignitati Deûm gratiam referen-* *Tac. Ann.l.1.*

dam, ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera obliterarentur. Factum ex eo S.C. viderent Pontifices, quæ retinenda firmandaq; Haruſpicum. Vide *Polybium* l.1. *Val. Maximum* l.1.c.4. *T. Livium* l.22. *Ciceronem* de Divin. l.1. & 2. & *de Nat. Deorum.*

Tages.



Nil ſine me Hetruſcus ſacris intentus Haruſpex
Aggreditur: leges quem docui augurij.

TAGES

FVIT Tages, vt Beroſo placet, Noæ trinepos ex Camo; filius Aruntij. *Marlot* ab Etruſcis appellatus eſt, ad quos ſe recepit, quoſq; in ſacris, divinatione, auguriis, & aruſpicina inſtituit. *A Cameſo enim*, id eſt *Camo*, inquit idem Beroſus, *per manus hæc ſcientia ad poſteritatem, longo temporum intervallo pervenerat*; ſemperq; ceremoniarum, ſuperſtitionumq; adiectione in immenſum creverat.

De Nat. Deor. l. 2 De Tage Cicero ita tradit, *Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cùm terra araretur, & ſulcus altiùs eſſet impreſſus, extitiſſe repentè, & eum affatus eſſe qui arabat. Eius aſpectu cùm obſtupuiſſet bubulcus, clamoremq; maiorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum, totamq; brevi tempore in eum locum Hetruriam conveniſſe. Tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint, literiſq; mandaverint.* De eodem ſic Ovidius *Metamorph. l. 15.*

Haud aliter ſtupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis aſpexit in arvis,
Sponte ſuâ primùm, nulloq; agitante moveri,

Sumere

Sumere mox hominis, terræq; amittere formam;
Oraq; venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagem; qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Hic itaque à parente edoctus, brevi celeberrimus evaſit, & aruſpicinam, extiſpiciorum ſcientiam ac ſacrificiorum ritus ſic excoluit, vt eorum primus author habitus ſit; quod & Lucanus teſtatur his verbis,

At fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages.

Nec has modò ſuperſtitiones Hetruſcos docuit, ſed & remedia quibus arcerentur tempeſtates, ſedarentur venti, & grandines averterentur ab agrorum finibus. Nempe averti grandinem, tempeſtatem, & lolium ipſum à ſegetibus, ſi quis crocodili pellem, vel vituli marini per ſpatia poſſeſſionis circumferat; aut ſi vbi inſtare malum videt, oblato ſpeculo, imaginem nubis accipiat; aut ſi ad limites agri caput aſini ſua pelle nudatum, affigat. Verba ſunt Columellæ,

Ipſa novas artes varia experientia rerum
Et labor oſtendit miſeris, vſuſq; magiſter
Tradidit agricolis ventos ſedare furentes,
Et tempeſtates Thuſcis avertere ſacris.

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placatur & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli,
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.

Eiuſmodi ἀποτρόπαια & malorum averruncatoria, non ſoli Ethnici vſurparunt, ſed & alij. In hoc cenſu repono Iudæorum phylacteria, & Pſeudo-Chriſtianorum amuleta, caracteres, figuras, cruces, reliquias, cereas agni effigies, Scripturæ ſacræ teſtimonia, cantiones magicas, ligaturas, aliaq́; eiuſmodi collo appenſa, per quæ ſe cuſtodiri ac ſervari à malis Superſtitioſi credunt. Iſta tanquam impia & ab Euangelij doctrinâ aliena, abjicienda ſunt. Magicas enim ſuperſtitiones ſapiunt, quibus Diabolus illudit hominibus.

Cæterùm aruſpicia & extiſpicia illa, quorum authores fuerunt Aruns & Tages, tanti æſtimabantur apud Romanos, vt de his integros libros conſcriptos ſervarent Pontifices, ad quorum normam oportebat omnia agi. Prædictiones futurorum inde colligebant, quæ inſtar oraculorum apud eos habebantur; neque quicquam aggrediebantur, quin priùs ſacrificiorum hos ritus, accurata indagatione perluſtraſſent. Credebant enim victimas, notis monitricibus affici à Diis quibus immolabātur.

Aſÿlas Augur Hetruſcus.



Ut pecudum fibras, præſagi fulminis ignes
Et linguas volucrum, ſideraque alta rego.

ASYLAS

ASYLAS & ipſe Hetruſcus, auguriorum ſcientiæ magiſtrum habuit celebrem illum Tagem; fuitq; ob divinandi ſcientiam & extiſpicium clarus. Hunc ſic commendat Virgilius Aen. 10:

Tertius ille hominum Divumq; interpres Aſylas.
Cui pecudum fibræ, cæli cui ſydera parent,
Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes.

De cœli ſyderibus & fulmine meminit Poëta, quia Augures non modò aves ſpectabant, ſed & cælum ac meteora. Primò enim obſervabant cœli aſpectus & influxus; & ex Aſtris, quibuſcum analogiam eſſe ad ſingulas ætates hominis, corporis partes, & animi quoque affectiones affirmabant, de variis eventibus vaticinabantur. Exempli gratia, cùm de morbo vel ſanitate conſulentium præſagire nitebantur, attendebant vt ætati eorum convenientem Planetam deligerent; verbi cauſa, ſeni Saturnum; adoleſcenti Mercurium; viro Iovem: deinde etiam Planetam cupiditati vniuſcuiuſque reſpondentem; vt Martem ira-

cundo

cundo; Venerem libidinoſo &c. Præterea Signum quod parti corporis quam iuvare vel lædere cupiebant, præeſſe ſibi fingebant: Si capiti Arietem; ſi pedibus Piſces. Quæ omnia vtcunque vana & ſtolida, non modò in vſu fuerunt apud Augures Ethnicos, ſed & hodiè â variis vſurpantur. Apud Laertium meritò ridetur ab anu domeſtica Thales, qui cùm domo exiret contemplandorum ſyderum cauſa, in ſubiectam foſſam incidit, *Quid enim*, inquit anus, *quæ ſunt in cœlis te comprehenſurum arbitraris, qui ea quæ ſunt ante pedes videre non vales?* Hoc hominum genere nihil ſtolidiùs,

Quod eſt ante pedes nemo ſpectat: cœli ſcrutantur plagas.

Scitè ridet Thomas Morus quendam Aſtrologum mœchæ maritum, qui cùm futura ex aſtris ſe prævidere iactaret, domeſticum dedecus ignorabat. His in eum ludit,

Aſtra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia vati,
Omnibus & quæ ſint fata futura monent.
Omnibus aſt vxor quod ſe tua publicat, id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla docent.

Ex meteoris etiam captabant vaticinia aruſpices; contemplabantur enim tonitrua; ſi ad lævam vel impari numero intonuiſſet; ſi ab or-

tu fulmina circularentur ; ſi circumacta per cælum in eandem partem reflecterentur; vel ſi vibrata è nubibus à terra reſiliviſſent ; Si crebris ignibus fulſiſſent; Si è cœlo ſereno tonuiſſet; Si ab Occaſu, vel per Septentrionem in Occaſum ferrentur fulgura, & alia eiuſmodi.

Habebant autem Augures lucos & aras, & peculiaria ſacra ad elicienda fulmina, quæ vel bruta dicebantur vel fatidica.

OLENVS

Olenus Calenus



Quod caput effoſsum Tarpeio in monte videtis
Summi illi faſces denotat Imperij.

OLENVS CALENVS

OLenum inter præcipuos Hetruriæ Vates & Aruſpices numerant Hiſtoriæ. Is enim dicitur prædixiſſe qualis futurus eſſet Romani Imperii ſtatus. Nam cùm Tarquinius Superbus Capitolinam arcem conderet, in fundamentis inventum eſt caput humanum, vel vt alij malunt, equinum. Quâ de re Aruſpices ex Hetruria convocati & conſulti ſunt, Olenus Calenus inter cæteros, vates præſtantiſſimus, & in Aruſpicinæ ſcientia optimè verſatus: Is aſſeveravit, caput hoc quod inventum erat, portendere ſummam Monarchiam & imperium vrbi, cui totus orbis ſubiiceretur; idq; propagatum iri, & incrementa ſumpturum bello. Eſſe enim equum animal generoſum, pugnis & conflictibus gaudens. Auguris reſponſum Romani fauſtum fælixq; ſumpſerunt; arcem Capitolium vocaverunt, vel ab invento capite equino, vel quod mundi caput futura eſſet. Exitus poſtea comprobavit, non falſam aut vanam fuiſſe prædictionem. Vide *Plinium lib. 28. cap. 2.*

HELENVS

Thyſodamas Melampodis filius.



Conſuerat mecum magnorum arcana Deorum
Partiri, et viſas Amphiaraus aves.

THYODAMAS

Plin. l.25. c.5.

MElampus ille Medicina clarus, qui filias Prœti Argivorum Regis, quæ furiis agitatæ ſe vaccas credebant, propinato elleboro ſanavit; ex vxore Amphianaſſa genuit Thyodamanta. Hic præſtans fuit Medicus, Augur & Vates celeberrimus: de quo Statius lib.8.

Inſignem fama, ſanctoq; Melampode cretum
Thyodamāta volunt; qui cùm ipſe arcana Deorū
Partiri, & viſas vni ſociare ſolebat
Amphiaraüs aves: tantæq; haud invitus arti
Gaudebat dici ſimilem, iuxtaq; ſecundum.

Aiunt eum intellexiſſe voces avium, & cum illis fuiſſe collocutum.

HELENVS

Helenus Priami filius et Hecubæ.



Aequoreis ne fidat aquis Pyrrhum inſtrue: Regno
Tandem et Hectorea coniuge gratus erit.

HELENVS

EX numeroſiſſima illa prole, quam ſuſcepit Priamus Rex Troianorum ex Hecuba vxore, vnus fuit Helenus. Hunc augurem præſtantiſſimum vocat Homerus Iliad ζ.

Πριαμίδης Ἕλενος οἰωνοπόλων ὄχ᾽ ἄριστος.

Ad eum authorem refert Suidas χειροσκοπικὰ vaticinia, cùm ex manuum lineamentorum conſideratione, futuræ ſortis ſtatus prænunciatur. Is dum obſidebatur Troia, non modò populares ſuos conſiliis & prædictionibus iuvit, ſed & fortiter cum hoſte dimicavit. *Iliad.* *N*. Prædixit Ilij excidium ſicut & Caſſandra ſoror, ſuadebatq́; Priamo patri vitandis tantis malis, vt Helena, quæ belli cauſa erat, reſtitueretur Menelao marito: huius cùm reſpuiſſet ſana conſilia Priamus, Paridi filio gratificari cupiens, capta eſt Troia & diruta, tota ferè Aſia deleta, tamq́; numeroſam prolem miſerrimus Priamus cum regno & vita amiſit. Helenus reliquis fratribus aut cæſis aut captivis, ipſe Pyrrho Achillis filio ſorte obtigit: huic chariſſimus fuit, propter prudentiam & vaticinandi ſcientiam

quâ

quâ excellebat. Cùm Principes Græci reditum in patriam pararent; illis prædixit Helenus naufragia & adverſos caſus, niſi varia quæ ſuadebat ſedulo caverent; cùm verò illi monitis non paruiſſent, plerique ad Caphareum fluctibus abſorpti ſunt. Pyrrhus verò Heleni monitis obtemperans, felici navigatione in patriam reverſus eſt.

Redux Helenum honorificè excepit; illiq́; Andromachem Hectoris cæſi viduam, deſponſavit; conceſſitq́; regni ſui partem in montanis Epiri, vbi ipſe condidit vrbem ad ſimilitudinem Troiæ, in qua profugum Aeneam excepit hoſpitio. Hunc conſuluit Aeneas de futuris eventibus, vt ipſe narrat Aeneid.3.

His vatem aggredior dictis, ac talia quæſo.
Troiugena interpres divûm qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui ſydera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ:
Fare, age &c.
— *Hæc deinde canit divino ex ore Sacerdos.*

Laocoon Priami et Hecubæ filius.



Eventus rerum incetos prædicere noſtrum eſt:
Hoc mihi Tymbræus munus Apollo dedit.

LAOCOON

HIc quoque Heleni frater, Priami & Hecubæ filius, Apollinis Sacerdos, Vates nobilis, & rerum ſcientia inſignis habitus eſt: afflatus enim numine Apollinis futura prędixit. Lugendo verò caſu periit in Troiæ expugnatione. Cùm enim equum illum ligneum vaſtitatis immenſæ fabricaſſent Græci; quem armatis oppletum, ceu Minervæ ſacrum, in vrbem ruptis mœnibus invexerant; Laocoon vates multùm reclamavit, & aut hoc incluſos ligno occultari Græcos Duces, aut machinam in muros & vrbis excidium fabricatam eſſe aſſeruit; imò haſtam ſumptam ſummis in latus equi contorſit viribus, quo ictus, auditus eſt armatorum crepitus. Sed quò minùs Troiani prudentis vatis prædictionibus obtemperarent, prohibuit portentum. Dum enim in fatalem machinam vociferatur Laocoon, & ferro Argolicas fœdare latebras ſuadet, Ecce gemini angues ſibilantes & linguas vibrantes qui *——— agmine certo*

Laocoonta petunt; & primum parva duorum

Corpora natorum, ſerpens amplexus vterque
Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.
Poſt illum auxilio ſubeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriq́ ligant ingentibus &c.
Ille ſimul manibus, tendit divellere nodos,
Perfuſus ſanie vittas, atroq; veneno,
Clamores ſimul horrendos ad ſydera tollit.

Exin dracones fugiunt ad Palladis delubrum, ſeq; ſub pedibus Deæ, & clypei ſub orbe tegunt. Tum omnes pavidi iuſtas pœnas dediſſe Laocoonta dixerunt, & ſcelus expendiſſe, qui haſtam intorſiſſet tergo Minervæ ſacri equi. Cùm itaque fatalem illum equum intra muros admiſiſſent Troiani: Duces Græcorum noctu ex equo ſe promunt; invadunt vrbem vino ſomnoq; ſepultam; cædunt vigiles, portiſq; patentibus excipiunt ſocios, agmina conſcia iungunt, & Troianos ad internecionem delent.

PRYLIS

Pryſlis Mercurij filius.



Ille ego ſum, Vocitat tellus quē Leſbia Pryſlī:
Qui Xerxem in Grœcos arma movere fero.

PRYLIS

Mentio equi Troiani mihi Prylem vatem in memoriam revocat: hic enim à Palamede delinitus donis, iſtum modum edocuit quo Troia expugnaretur; equi Durij, *hoc eſt* lignei rationem præmonſtrans, intra quem delituerunt audaciſſimi & ſolertiſſimi Græcorum Duces. Fuit verò Prylis, Cadmi ſive Mercurij filius, & Iſſæ nymphæ; qui ab Apolline cuius ſacris præerat, ſpiritu Pythonico afflatus, oracula reddebat. Inter cætera quæ illi tribuuntur, hoc memorabilius eſt, quod Græcis prædixiſſe fertur, ex Aſiæ regionibus venturum regem potentiſſimum cum infinitis armatorum myriadibus, qui totam Græciam inundaret: verùm hunc Monarcham à Græcis, numero longè inferioribus, vincendum. Hoc vatis effatum Græcis animos excitavit, cùm Xerxes bellum Græciæ intulit, eôq; venit cum multitudine militum & claſſiariorum propè innumerabili. Herodotus *lib.* 6. vltra ter vicies centena millia fuiſſe prodit: vt non immeritò proditum ſit, flumina ab exercitu eius

ſiccata,

ſiccata, terras pelago pontibus iunctas, omnemq́; Græciam vix capiendæ multitudini fuiſſe. Verùm iuxta vaticinium Prylidis, tanti exercitus in Græciam introitus, quâm terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit. Ad Salaminem enim navali prælio ſuperatus eſt à Themiſtocle, qui vix ſecum quatuor millia hominum ducebat; idq́; tanta ſuorum clade, & ignominia, vt Xerxes parva ſcapha effugiens, vix ſe in Aſiam receperit.

Pythagoras.



Quicquid Pythagoram neſciſſe fatemur, id ipſū
Nemo hominum potuit pectore percipere.

PYTHAGORAS

INter Vates Pythagoras nomen profitetur ſuum. Imò Ariſtippus Cyrenæus, teſte *Diogene Laërtio*, ait illum, *Pythagoram* idcirco appellatum, quod veritatem perinde ac *Pythius* ipſe loqueretur. Augur præterea fuit, & Magus, quod teſtantur Plinius & Plutarchus. Proditur enim memoriæ, quum ſupervolantem aquilam ſuſurraminibus excantaſſet, ita deduxiſſe, vt mitem redderet ac prorſus cicurem. *Pythagoras*, inquit Ammianus, *femur ſuum aureum oſtentabat, & cum aquila colloquens ſubinde viſebatur.* Ferunt eum eodem die & hora, Crotonæ & Metaponti conſpectum fuiſſe, ibiq; collocutum cum amicis. Tradunt quoque, fuiſſe vrſam feritate ac vaſtitate corporis inuſitatâ horrendam; eam ad ſe venire iuſſiſſe, quæ ſtatim paruit, & domum abductam reddidiſſe cicurem: Mox dimiſſurus, quaſi iureiurando adegiſſe, ne in poſterùm vllum animal læderet; eam in quod adiurata receſſerat, ſumma fide præſtitiſſe. Scribit Plutarchus *in Vita Numæ*, Pythagoram propè Tarentum conſpexiſſe bo-

vem, fabariam ſegetem morſu carpentem & pedibus obterentem: tum bubulcum admonuiſſe, bovem iuberet frugibus parcere; Cui paſtor ridens, *Ego*, inquit, *bobus præcepta dare neſcio; Tu qui in ſcholis verſatus es, id illi præcipito*: Eveſtigiò Pythagoram bovis auribus inſuſurraſſe, bovemq; abire iuſſiſſe, qui ſtatim receſſit, & vellicare ſegetem deſtitit; quin & in futurum eiuſmodi pabulo abſtinuit. Aiunt etiam cum illo familiares Genios fuiſſe obverſatos, eorumq; adminiculo Pythagoram præcipuè enituiſſe. Quod & de Socrate dictum eſt.

Fuit verò hic vir ortu Samius, Mneſarchi (alij Marmacum vocant) gemmarum ſculptoris, filius. Aegyptum primò, mox Babyloniam ad perdiſcendos ſyderum motus; originemq; mundi ſpectandam profectus, ſummam ſcientiam conſecutus eſt. Inde regreſſus, Cretam & Lacedæmona ad cognoſcendas Minois & Lycurgi inclitas ea tempeſtate leges, contendit. Quibus omnibus inſtructus Crotonam venit, populumq; in luxuriam lapſum, authoritate ſua ad vſum frugalitatis revocavit. Laudabat quotidiè virtutem, & vitia luxuriæ caſuſq; Civitatum ea peſte perditarum, enumerabat. Matronarum quoque ſeparatam

à viris

à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, & obſequia in viros; nunc illos modeſtiã, & literarum ſtudium. Inter hæc velut genitricẽ virtutũ frugalitatẽ, omnibus ingerebat; conſecutuſq; diſputationum aſſiduitate erat, vt matronæ auratas veſtes, cæteraq; dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaq; omnia delata in Iunonis ædem, ipſi Deæ conſecrarent. *Hæc ex Iuſtino lib.* 20.

Totam autem Philoſophiam ſuam myſteriis velavit, ſymbolicamq; & perplexam docuit, more Aegyptiorum, aliorumq; Orientalium, quorum inſtituta penitùs hauſit, vt Ioſephus *contra Appionem*, & Euſebius tradiderunt. Ambroſius de Pythagora hæc habet, *Cùm ex populo Iudæorum*, inquit, *vt plerique arbitrantur, genus Pythagoras duxerit, ex eius diſciplinâ derivavit etiam magiſterij præcepta; meritòq; magnus apud Philoſophos habitus, qualem, vt aiunt, vix reperias vllum.*

Inter eius dogmata, præcipuum fuit tantoperè decantata illa Metempſycoſis, ab Aegyptiis accepta; quâ credebat animam hominis è mortuo corpore ſubinde in aliud atque aliud corpus immigrare. De hac ſic ipſe Pythagoras apud Ovidium *Metam.* 15. 3.

Morte carent animæ, ſemperq́; priore relicta
Sede, novis domibus vivunt habitantq́; receptæ.

Recenſet deinde in quæ corpora anima ſua migraverit; affirmat nempe ſe primò fuiſſe Aethalidem Mercurij filium; poſtea Euphorbum, nobilem illum Troianum Iliaco in bello à Menelao occiſum; deinde Hermotimum; tum Pyrrhum; ac denique Pythagoram; ſeq́; omnium meminiſſe præteritorum. Aiunt cùm aliquando prętериens animadvertiſſet catulum à quodam verberari, illum reprehendiſſe, quod iniuriam faceret animæ boni viri, qui ſibi amicus fuiſſet. Iſta deliria feſtivè ſuo more ridet Lucianus. Scitè quoque ad hoc placitum ludit Auſonij Epigramma, in execrandum quendam Marcum, *Perverſæ Veneris poſtico vulnere foſſorem*, vt Poëta loquitur: quærit enim hic à Pythagora, qualis evaſurus ſit poſt mortem impurus ille pædico; reſpondet Pythagoras,

Vide A. Gellium l.4.c.12.

Luc. Dial. Galli & Mycilli.

Non taurus non mulus erit, non hippocamelus,
Non caper aut aries; ſed ſcarabeus erit.

Scarabeus ſcilicet ex eorum genere qui ſtercorei vocantur.

Ordo autem atque ratio Pythagoræ recipiendi inſtituendiq́; diſcipulos, huiuſmodi fuiſſe traditur. Iam à principio adoleſcentes qui

qui ſeſe ad diſcendum obtulerant ἐφυσιογνωμόνει. Id verbum ſignificat mores naturaſq́; hominum coniectatione quadam de oris & vultus ingenio, deq́; corporis filo atque habitu, ſciſcitari. Eum qui exploratus ab eo, idoneuſq́; compertus fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim iubebat, & tempus certum tacere. Quinquennale vt plurimùm erat ſilentium, ſed aliquando minori ſpacio circunſcribebatur, pro auditorum ratione, & æſtimato captu ſolertiæ; quanquam nemo minùs tacuit quàm bienniũ. *Vir enim ille ingenio ingenti*, vt loquitur Apuleius, *ac ſupra captum hominis animi auguſtior, nihil priùs diſcipulos ſuos docuit quàm tacere, primaq́; apud eum meditatio ſapienti futuro, linguam coërcere, verbaq́; quæ volantia Poëtæ appellant, ea detractis pinnis intra murum candentium dentium premere.* Is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab aliis audiebat, neque percunctari ſi parùm intellexerat, fas erat. Aſt vbi res omnium difficillimas, tacere, audireq́; didicerat, eſſetq́; ſilentio eruditus, cui nomen erat ἐχεμυθία, tum verba facere & quærere, quæq́; audiſſet ſcribere, & quæ ipſe opinaretur, poteſtas erat. Verùm cum extraneis de iis quæ didiciſſet, loqui illicitum. Cicero *lib. 1. de Nat. Deorum*, *Nec tu me celas vt*

Pythagoras ſolebat alienos. Ἐχεμυθίαν ab Ægyptijs, qui *Harpocratem* ſilentij Deum colebant, accepit Pythagoras; ab hoc verò fortaſſe Numa Pompilius, qui fuiſſe dicitur Pythagoricus: Hunc enim ſilentij Deam *Agenora* nomine, quæ ore obſignato pingebatur, quæque inter Tutelares Romæ Deas recenſetur à Macrobio, coluiſſe, teſtis eſt Plutarchus *in eius Vita.*

Macrob. l. 3. Sat. c. 9

Id tamen affirmare nolim quod ſtatuunt nonnulli, Numam Pompilium fuiſſe Pythagoræ diſcipulum. Cicero enim Numam annis permultis antè fuiſſe quàm eſſet Pythagoras affirmat, *De Orat. l. 2.* Idem ſcribit Pythagoram fuiſſe in Italia ijſdem temporibus quibus L. Brutus patriam liberavit. Hoc ipſum affirmant T. Livius *lib.* 1. & Solinus *cap.* 16. cuius hæc ſunt verba, *In Samo nihil nobilius quàm Pythagoras civis, qui mox offenſus faſtu tyrannico, relicta domo patria, Bruto Conſule, qui Reges vrbe exegit, Italiam advectus eſt.* Gellius verò vult eum in Italiam veniſſe, Tarquinio Superbo regnante. Vide præterea Franc. Floridum Sabinum *lib.* 1. *Succiſivar. lect. cap.* 13.

Tuſc. qu. l. 4.

Gell. N. A. l. 17. c. 21.

Cauſam quare in Italiam Pythagoras profectus eſt, hanc fuiſſe refert Laërtius *in eius vita*; quod poſt longam peregrinationem in pa-

ttiam redux, eam à Polycratis tyrannide oppreſſam offendiſſet. Alij Syloſontem Polycratis fratrem & ſucceſſorem, fuiſſe volunt; Eum enim Strabo adeò ſæviter regnaſſe ſcribit, vt plurimi cives Samum deſererent. *Strabo l. 14.*

Cæterùm Pythagoras diſcendi cupiditate vltimas terras peragravit; Aegyptum luſtravit, ibiq; viginti duos annos verſatus eſt, vt ſcribit Iamblicus. Perſarum etiam Magos adiiſſe referunt Iſocrates, Cicero, aliiq;. Arabas, Ebræos, Chaldæoſq; acceſſiſſe teſtatur Porphyrius; multaq; Iudæorum dogmata amplexum Clemens Alex. *lib.*1. affirmat. Quod verò Iudæi ſanguine abſtinuerint, hinc fortè omnibus animalibus abſtinuit, de quo ſic ille apud Ovidium, *Iſocr. in laud. Buſ. Cic. l. 5. de Fin.*

Parcite mortales, dapibus temerare nefandis *Metam. l. 15.*
Corpora; ſunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidæq; in vitibus vvæ
Sunt herbæ dulces &c. alimentaq; dulcia tellus
Suggerit, atque epulas, ſine cæde & ſanguine
præbet &c.
Heu quātū ſcelus eſt in viſcere viſcera condi, &c.
Alteriusq; animantem animantis vivere letho?

Iuvenalis lib. 5. Sat. 15.

Aſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ,

Occidiſſe aliquem; ſed pectora, brachia, vvltum,
Crediderint genus eſſe cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras? cunctis animalibus abſtinuit qui,
Tanquam homine, & ventri indulſit non omne
legumen.

Multi Arithmeticam inventum Pythagoræ eſſe ſcribunt. Numeris conſtare hoc vniverſum tradebat, ſummumq; hominis bonum in exactiſſimâ numerorum ſcientiâ poſitum eſſe exiſtimabat. In Medicinæ etiam præceptis & curatione morborum apprimè fuit exercitatus. Dicitur præterea pondera & menſuras inveniſſe. Etiam Chymiæ peritum fuiſſe qua metalla mutantur, volunt nonnulli. Cum Ariſtarcho Samio, terram moveri docuit. Alphabeto Cadmi Phœnicum regis, adiecit literas υ, ζ, χ & ω. Erudiebat diſcipulos ſuos in Geometriâ, Gnomonicâ, Muſicâ, aliiſq; diſciplinis quas μαθήματα vocant Græci. His ſcientiis ornatos, ad perſpicienda mundi opera & principia naturæ provehebat, ac tunc denique vocabantur Φυσικοὶ. Omnes qui à Pythagorâ in cœtum diſcipulorum admittebantur, quod quiſque pecuniæ habebat in medium dabat, & coïbatur ſocietas inſeparabilis, quam

Græci κοινόβιον appellant.

Author eſt Cicero tantùm exiſtimationis apud ſuos adeptum eſſe, vt ſi quid affirmaret in diſputando, ſi ex iis quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ἀυτὸς ἔφα, *Ipſe dixit.* Ipſe autem erat Pythogoras; tantùm opinio præiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret authoritas. Diſcipulos quoque eſu carnium & animatis abſtinere iuſſit, voluitq́; ita facili aſſuefieri victu, vt igne ad coquendum opus non eſſet. Aquæ potum tantùm illis conceſſit, ne acumen ingenij gravaretur ebrietate. Tradunt eoſdem à fabis abſtinuiſſe. Refertur enim in eius ſymbolis, *A fabis abſtineto.* Lucianus Pythagoram apud Inferos introducit affirmantem, par eſſe ſcelus comedere fabas & capita parentum; citaturq́; à Clemente Alex. lib. 3. Στρωμ. hic verſus

Ἶσον τι κυάμους τρώγειν, κεφαλάς τε τοκέων.

Quidam per κυάμους quibus abſtinere homines iubebat Pythagoras, intelligunt non fabas legumenti genus, ſed ova, quod in iis ſit animalium κύησις *fœtus & conceptio*, à quibus abſtinebant quoque Pythagorici, Laertio teſte. Alij, inter quos Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, *Fabis abſtinere* ita interpretantur, vt Magiſtratus fu-

gerent, qui olim ſuffragiis per fabas latis, quæ in vrnam conjiciebantur, in primis apud Athenienſes, creabantur. Nonnulli per κύαμον eam partem ſexus muliebris intelligunt, quam pudor nominare vetat, ἀπὸ τȣ̃ κύειν, *concipere, vterum gerere:* hocq; præcepto cenſent Pythagoram à ſcortatione homines dehortari voluiſſe. Ac ſanè ipſum Veneris temperatiſſimum fuiſſe ex Laërtio conſtat; qui refert illum cenſuiſſe concubitum quocunque tempore ſanitati officere, atque infirmitatem corpori conciliare. Alij denique id iuxta literam accipiunt; & ex Aegyptiorum placitis hoc Pythagoram hauſiſſe cenſent. Herodotus enim ſcribit, neque ſerere fabas, neque comedere Aegyptios, atque etiam à conſpectu earum abhorrere; quoniam, vt ait Cicero, inflationem afferunt & animum perturbant.

Familiaria quædam habuit Symbola, quæ peti poſſunt ex Laërtio.

Nonnullos eius libros citat Laërtius, quanquam nonnulli exiſtiment nihil ſcripſiſſe. Aurea quæ inſcribuntur Pythagoræ carmina, Lyſidis eius diſcipuli, vel alterius Pythagorici ſunt. Aiunt tamen tres libros ſcripſiſſe, quos Plato centum minis, *hoc eſt*, mille coronatis

aureis

aureis ſibi emi curavit.

Fabulabatur Pythagoras ſe ad Inferos deſcendiſſe, ibiq́; Homeri & Heſiodi animas vidiſſe diris cruciatibus affici, quod de Diis turpia & impia finxiſſent.

Verùm cùm annos viginti Crotonæ commoratus fuiſſet, Metapontum ſe contulit; ibiq́; deceſſit octogenarius, vel ſecundum alios, anno ætatis nonageſimo. Quidam eum inediâ periiſſe ſcribunt. Plutarchus vivum exuſtum idq́; eveniſſe in Milonis Crotoniatæ domo prodit, à quodam quem in diſciplinam admittere abnuiſſet. Alij interfectum volunt à Syracuſanis, dum agrum fabaceum circuibat. Tanta fuit huius Philoſophi admiratio, vt ex eius domo Templum facerent, eumq́; pro Deo colerent. Hoc in eius modeſtiæ teſtimonium vulgò obſervatur, quod cùm alij doctrina exculti, ſe σόφȣς *ſapientes* eſſe iactarent, hic ſe non Sapientem ſed ſapientiæ ſtudioſum profeſſus eſt: vnde ſequentis ævi eruditi, Philoſophi dicti ſunt.

Qui plura de Pythagora cupit, adeat Iſocratem *in Buſiride*: Diogenem Laërtium. Lucianum *in Vitarum auctione*. A. Gellium *lib.* 11. Apuleium *Florid.* 2. *extre.* & è recentioribus I. Ger. Voſſium *de Phil. Antiquis.*

Spurina.



Martis Idus adſunt, Iuli: tu averte cavendo
Fata: futura tibi eſt ſanguinolenta dies.

SPVRINA

IVlij Cæſaris cædes variis prodigiis & prædictionibus denunciata eſt. Author enim eſt Corn. Balbus, familiariſſimus Cæſaris, *referente Suetonio*, paucos ante huius mortem menſes, cùm in colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruendas villas ſepulcra vetuſtiſſima diſiicerent, tabulam æneam in monumento in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, ſepultus; inventam eſſe conſcriptam literis verbiſq; Græcis, hac ſententiâ, *Quando oſſa Capys detecta eſſent, fore vt Iulo prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſq; mox Italiæ cladibus vindicaretur.* Sed cætera eiuſmodi nunc quidem mitto. Vivebat Romæ, Iulij Cæſaris tempore, Spurina Aruſpex celeberrimus, quem ob augurandi ſcientiam & vaticinia, tantopere laudant eius ſeculi authores. Inter cæteras quæ illi tribuuntur prædictiones, memorabilis eſt illa ad Cæſarem adhortatio, *Caveret periculum quod non vltra Martias Idus proferretur.* Cùm is dies adveniſſet, & Cæſar in Curiam proficiſceretur, quanquam dehor-

tante Calpurnia vxore, ſomnio exterrita, occurrit fortè Spurina, ad quem Cæſar converſus, eum irridebat, & vt falſum arguebat, quod ſine vlla noxa Idus Martiæ adeſſent. Cui reſpondit Spurina, *Venerunt quidem, ſed non præterierunt.* Ac ſanè vix Curiam ingreſſus eſt & Tribunali conſedit Cæſar, cùm eum ſpecie officij circunſteterunt coniurati; illicoq́; Cimber Tullius ab vtroque humero togam apprehendit, deinde Caſſius adverſum vulnerat paulò infrà iugulum; denique reliqui coniurati ſtrictis gladiis, Imperatorem, ad ſtatuam Pompeij, humi iacentem, tribus & viginti plagis confoderunt.

APOLLONIVS

Apollonius Tyanæus



Inſpexi ſecreta Deûm: et conceſſa facultas
Naturæ exacta cognitione frui.

APOLLONIVS TYANÆVS

PRopagatâ per totum orbem terrarum Evangelij doctrinâ, quam Apoſtoli variis miraculis confirmabant, Diabolus multos Pſeudoprophetas, Magos & Impoſtores ſuſcitavit, qui homines à Chriſto averterent falſis ſuis miraculis & vaticiniis. In his famoſiſſimus fuit Apollonius Tyanæus, qui Apoſtolorum temporibus vixit, præcipuamq́; navavit Cacodæmoni operam. Is Tyana vrbe Cappadociæ natus eſt, patre viro nobili. Adoleſcentiæ annos audiendis & legendis Philoſophis dedit, magnoſq́; brevi progreſſus in ſcientiis fecit. Pythagoricis peculiariter ſe addixit, ad quorum doctrinam naturali inſtinctu inclinabat; abſtinens ab eſu carnium, & omnibus ciborum veſtiumq́; deliciis, oleribus tantùm & terræ fructibus vitam ſuſtentabat. Maximè vſum vini fugiebat, quòd eius potu mentis aciem retundi & offuſcari crederet. Amictum non ex lanâ ſed ex lino tantùm gerebat; comam & barbam nutriebat.

A re venerea per totam vitam abſtinuit.

Silentium per quenquennium exactiſſimè ſervavit. Maximam terræ partem peregrinando luſtravit. Brachmannos in Indiam, & Gymnoſophiſtas in intimam Aethiopiam, adiit. Huic ſe Damis Aſſyrius, fidelem conſtantemq; peregrinationum comitem, adiunxit. A Regibus omnibus comiter & honorificè exceptus eſt. Cùm pecuniam, veſtes & victum delicatiorem liberaliter offerrent, omnia recuſabat; panem tantùm & olera agreſtia ſecum ad viaticum ſumebat. Is ſemper fuiſſe perhibetur inter temulentos abſtemius, inter purpuratos linteatus, inter vnguentatos horridus, inter luxurioſos frugaliſſimus. Ab omnibus civitatibus quas adibat, communi magnatum & populorum applauſu excipiebatur, multùmq; honoris iis vrbibus conferri putabant omnes, ad quos divertere dignabatur.

Apollonius, ſi Philoſtrato qui eius vitam ſcripſit, ſit fides, tot edidit miracula, vt eum Hierocles quidam, auſus ſit cum Chriſto conferre; cuius opinionem impiam integro libro refutavit Euſebius. Apollonium enim non dubium eſt ſummum impoſtorem fuiſſe qui præſtigiis & faſcinationibus vſus eſt, partim ope Dæmonum, partim adhibitis naturalibus

proprietatibus quas exactè callebat. Eius prodigiosè geſta, hæc inter alia produntur.

Cùm Epheſi eſſet, vrbis miſertus ingemuit, prædixitq́; brevi peſtilentiam, maximam civium partem abſumpturam; cumq́; iam lues graſſaretur, accitus vt tantæ calamitati ſuccurreret, illuc accurrit, contulitq́; ſe in Theatrum, vbi oſtendit amicis ſenem quendam mendicum, ſordidum & pannoſum, vultuq́; horrido. Hunc Apollonius iuſſit à populo lapidibus obrui, affirmans eſſe Dæmonem ἀλάςωρα vaſtantem vrbem; quod cùm factum eſſet, ſtatim peſtis contagium ſedatum. Cumq́; poſt paucos dies amota eſſet lapidum congeries, caninum corpus inventum eſt.

Narrat præterea Philoſtratus, Menippum quendam adoleſcentem forma eximia, à Lamia (aliter Larvas, Empuſas, Strigas, Lemures indigetant) amatum fuiſſe. Aiunt enim eas ad Venerem pronas, amore formoſorum æſtuare, & cum iis impudico coitu copulari, quos poſtea expleta libidine devorant. Eam itaque Lamiam, formam venuſtiſſimæ puellæ aſſumpſiſſe, eoq́; rem deveniſſe vt hanc vxorem ducturus eſſet Menippus. Cùm autem jam in thalamum conveniſſent, adveniens Apollonius,

nius, Dæmonis agnovit technas, adoleſcentiſq; miſertus, exorciſmo phantaſma repulit, & omnem ad nuptias apparatum, oculos ſpectantium fallentem, in nihilum redegit; hocque modo miſerum iuvenem à præſenti periculo liberavit.

Cùm regnante Nerone Romam veniſſet, aiunt puellam nuptiarum die mortuam, quæ feretro efferebatur, invocat o numine, ad vitam revocaſſe.

Dum moraretur Alexandriæ doceretq; media populi turba, leo ad eius pedes tanquam ſupplex ſe demiſit, pavidis cunctis; *Hic leo*, inquit Apollonius, *me rogat vt doceam, illum animam hominis habere; fuit enim olim Amaſis Rex Aegypti, qui iuſtè & ſincerè vixit. Hunc cenſeo publico cenſu alendum; indignum eſt enim Regem in regiam belluam converſum, mendicare tanquam egenum.* Ea, rugitu leo in lacrymas profuſas verſus, ſe probare teſtatus eſt.

Porphyrius lib. 3. περὶ ἀποχῆς narrat, ſua ætate de eo dici ſolitum, cum audiviſſet hirundinem cum multis vociferantem, ſodalibus ſuis quos ſecum habebat Apollonius, expoſuiſſe, indicare illam cæteris, aſellum onuſtum frumento ante vrbem cecidiſſe, frumentumque

humi fuſum eſſe. Veriſimilius eſt quod Eunapius & Philoſtratus hoc paſſeri tribuunt, hirundo enim frumento non veſcitur. Volebat autem Apollonius hoc facto, perſuadere ſe garritus avium intelligere; quod veteres de Tireſia, Pythagora, & Melampo ſunt fabulati. Sed hoc eſt incredibile, cùm enim beſtiæ ratione careant, nequeunt diſcurſu vti: fateor affectus corporis & appetitum, poſſe vocibus ſuis indicare; & horum notitiam poſſe diuturna obſervatione ab hominibus deprehendi; poſſeq; Dæmonem qui hæc habet perſpectiſſima magos ea docere; Hoc pacto doctus eſt Apollonius.

Tarſi, adoleſcens à rabido cane morſus, in caninos mores tranſierat, adeò vt latraret, & in manus incederet. Tarſenſes remedium ab Apollonio petunt; hic vbi venit, canis vocatu Apollonij, iubetur lambere vulnus adoleſcentis, quo facto adoleſcens & ipſe ſanati ſunt.

A Domitiano, quòd eum maledictis inſectatus eſſet Apollonius, in carcerem coniectus eſt, & compedibus vinctus detinebatur. Ad eum cùm veniſſet Damis de eius vita multùm ſollicitus, *Deme hunc metum*, inquit Apollonius, *fruſtra te angit mea calamitas. Hinc te aufer ocius,*

&

& ſubito curſu Dicæarchiam pete; meq́ illic ſtatim tibi adſuturum expecta. Tum moto crure compedes excuſſit, ac rurſum recepit. Paruit Damis, & Roma excedens Dicæarchiam contendit. Aliquantò poſt ad Domitiani tribunal accerſitus Apollonius, crimina obiecta diluit, & multa hominum caterva ſtipatus qui in eum intentos fixerant oculos, ex eorum aſpectu ſublatus, diſparuit; ac Damidi Dicæarchiæ agenti non expectatus adfuit.

Verùm vaticiniis & prædictionibus non minorem quàm ex prodigijs famam comparavit. Cùm Athenas veniſſet, ibiq́; ab omni Civitate ſummis honoribus eſſet affectus; ab hierophanta Sacerdote,qui Epidauria ſacra celebrabat,tanquam incantator & dæmoniacus, prohibitus eſt ſacris initiari:Hanc repulſam patienter tulitApollonius,ſed mortem pręd ixitSacerdoti,cui ſuccederet alter à quo vltrò admitteretur; quod & brevi eveniſſe narrant. Cùm Syracuſis natus eſſet puer triceps, prædixit Apollonius hoc oſtento ſignificari propediem tres Imperatores Imperium occupaturos, quorum potentia ſtatim corrueret; quod in Galbâ, Othone & Vitellio impletum eſt, qui omnes vnius anni ſpatio interierunt.

Syracuſis ſolvens ad Leucadem tranſiit, vbi navem mutavit, prædicens eam qua vectus erat, paulò poſt naufragio perituram. Ea poſtera die ſubmerſa eſt.

Titus Imperator cùm hunc de fato vitæ ſuæ interrogaret, reſpondit, *Fatum Ulyßis illi impendere*, qui à filio Telegono occiſus eſt. Titus autem à fratre Domitiano veneno ſublatus eſt.

Dum Epheſi eſſet, & in Xyſti luco meridie diſputaret, ſubitò exclamavit, *Euge Stephane, percute tyrannum, percute tyrannum.* Aliquot poſt diebus renuntiatum eſt Epheſi, Domitianum à Stephano, eadem hora qua Apollonius exclamavit, fuiſſe confoſſum.

Triginta poſt Domitiani mortem diebus, Nerva Imperator dictus eſt. Is per epiſtolam ad ſe accerſivit Apollonium, vt eum aſſeſſorem haberet & conſiliarium. Cui ipſe reſpondit, *Nos brevi, ô Imperator, & quidem diu ſemel erimus, vbi neque nos aliis, neque alij nobis imperabunt.* His verbis prædicebat ſe & Nervam brevi morituros. Poſt annum autem vnum, & menſes quatuor, tum ipſe tum Nerva vivere deſierunt.

Quin multa fabuloſè de Apollonio ſcripſe-

rit Philoſtratus, non dubium eſt. Sed cùm Iuſtinus Martyr, Suidas, aliiq́;, eius præſtigiarum meminerint, & eo nomine ab Ethnicis religiosè cultus ſit; quin inſignis Magus fuerit, inficias iri non poteſt.

Nullum illi Tyanæi ſepulcrum conſtituerunt, cùm eius corpus nuſquam inventum ſit; ſed ſtatuis ſacriſq́; ceremoniis venerati ſunt.

Lampridius ſcribit, Alexandrum Severum Imperatorem, habuiſſe in larario imagines Chriſti, Abrahami, Orphei & Apollonij, quos colebat vt Deos, vel vt viros ſanctiſſimos.

Caracalla Severi filius, eum quoque religiosè coluit; templumq́; Heroum ſtatuit, vbi oracula ab eius vmbra ſciſcitaretur. Heliogabalus eidem Cenotaphium ſplendidiſſimum erexit, *vt teſtatur Dio.* Nec mirum, vterque enim Imperator Magiæ ad inſaniam vſque ſtudioſus fuit.

Iamblichus Chalcidenſis.



Utilius fuerat nobis neſcire futura
Cogor enim irato fata Valente pati.

IAMBLICVS

IAMBLICI vitam ſcripſit *Eunapius*; multaque de eo habent hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, Socrates, Sozomenus, Paulus Diaconus, Zonaras aliiq́; , è quibus ſequentia excerpſimus. *Socr. l. 4. c. 19. Sozom. l. 6. c. 35. P. Diac. l. 11. & 12. Zon. To. 3.*

Is fuit Philoſophus Pythagoricus, inter Academicos cognomento *Divinus*, & Sacerdos Magnus, è Chalcide Syriæ oriundus; Anatolij primùm, mox Porphyrij illius Apoſtatæ, Chriſtianorum hoſtis acerrimi, magiq́; execrandi, diſcipulus.

Florere cæpit temporibus Conſtantini Magni, & vitam ad Valentinum vſque produxit. Tantùm memoria, ingenio & iudicio valuit, vt brevi tempore ſecundas poſt præceptorem Romæ obtineret, nec ab eo quicquam differre videretur quoad doctrinam. Moribus in ſpeciem adeò probatis fuiſſe dicitur, vt eius vitæ abſtinentia modeſtiaque, ea tempeſtate nominatiſſimæ fuerint; frugalitate victus ſumma, humanitate mirabili erat. Cæterùm Magus fuit inſignis, vt Pythagorici omnes, & Chri-

ſtiani nominis oſor & inſectator, vnà cum Sophiſta Libanio, & Maximo Epheſio coævis, virulentus.

His artibus, facilè apud Iulianum Imperatorem gratioſus fuit. Hic enim & Chriſtianos oderat maximè, & Magicis artibus perpetuò deditus fuit, eaſque exercuit: quod poſt interitum eius tandem deprehenſum eſt, inventâ in Templo, (quod per milites accuratè, ne quis ingrederetur cuſtodiri iuſſerat) muliere crinibus ſuſpenſâ & manus extendente, cuius alvum profecturus in Perſas aperuerat; vt ſeu victoriam, ſeu belli quemcunque eventum in iecore eius rimaretur.

Multa de Iamblico fidem ſuperantia narrantur, quibus patet illum Cacodæmonis ope adiutum fuiſſe. Aiunt cùm in Templo Deorum preces funderet, vultum illius mutari ſolitum, & præter naturæ vim in omnium conſpectu, ab humo pluſquàm decem cubitis in ſublime attolli, nullo fulciente, ſed tanquam in aëre pendentem, corpore & veſtimentis in auri ſpeciem refulgentibus. Acclamabant tanquam Deo alicui præſenti mirabundi aſtantes, numineq; cæleſti afflatum demiſſis capitibus venerabantur, donec abſolutis precibus in priſtinam

ſtinam formam rediret, & in terram modico motu, illæſus deſcenderet.

Narrat Eunapius eum cùm aliquando vrbem confabulando cum diſcipulis ingrederetur, fixis derepentè in terram oculis exclamaſſe, *Agite*, inquit, *aliam viam ineamus; Non enim procul hinc cadaver effertur, cui nos occurrere non licet, ne polluamur.* Itaque alio itinere progreſſum ſequuti ſunt comites: ſed Aedeſius quidam cum aliquot aliis, cæptum iter proſecuti, incurrunt in veſpillones, qui cadaver defuncti tumulo mandaverant.

Aegyptius quidam Magus, media populi turba, exorciſmis & coniurationibus, profitebatur ſe evocaturum Apollinem; qui poſtquam comparuiſſet forma vegeta & corpulenta, ſpectatoreſq; omnes attoniti adſtarent; Iamblicus qui eò venerat, ad ſuos converſus; *Deſinite*, inquit, *mirari ô ſodales; Non enim hic eſt Apollo, ſed gladiatoris cuiuſdam, qui ſingulari certamine occubuit, ſpectrum:* Vtq; id probaret, effecit vt vmbra illa ſubitò diſparuerit.

Refert idem Eunapius Iamblicum aliquando cum diſcipulis ſuis veniſſe Gadara vrbem Syriæ, vbi ſunt thermæ ſaluberrimæ, quibus vix vllæ comparari poſſunt. Ibi cùm lavaret,

orta de balneis diſceptatione, iuſſit diſcipulos ſciſcitari ab indigenis, quibus olim nominibus donati fuiſſent è calidis fonticulis minores, ſed cæteris elegantiores, venuſtioreſq;. Gadarenſes reſponderunt ſe cauſam nominum ignorare, vni tamen è rivulis *Amori* nomen eſſe, alteri *Anteroti*. Confeſſim ipſe, contactâ manu aquâ (ſedebat enim in crepidine fontis vbi depletur ac ſuperfunditur alveus) paucis admurmuratis verbulis, de fontis imo puſionem excivit candidum, commoda ſtatura, capillitio in fulvum aurum tincto, dorſi cute nitida, qui totus lavanti aut loto ſimilis erat. Attonitis rei novitate comitibus, ad proximum fonticulum tranſiit, ibiq; eadem quæ prius peragens, alterum *Amorem* evocavit priori per omnia ſimilem. Ambo puſiones circumfuſi, arctis complexibus Iamblico velut patri inhærebant, eumq; hilari & ridente vultu amicè ſalutabant. Hos ille molliter exceptos demulſit, atque vnumquemque proprias ſedes repetere iuſſit, dicens adſtantibus, illos eſſe loci Genios, promotores aquarum tepentium, quæ ad lavacra erant neceſſariæ.

Scripſit Iamblicus librum de Myſteriis, vbi voto & adoratione ſacrificium fieri perfectius

docet,

docet, iiſq; totam religionem conſtare, vt quibus conflatur animarum & Dei connexio. Alio loco rationem reddere conatur cur Magi in incantationibus ſuis plerunque adhibeant voces barbaras & nihil ſignificantes. Ait eiuſmodi nomina, vtcunque nobis prorſus incognita, habere tamen apud Deos notiones ſuas. Multa alia ſcripſit, quorum pars adhuc hodie exſtat.

Magiæ peritus fuit, non ſolùm illius naturalis, quæ per virtutes & facultates rerum naturalium operatur, ſed eius quæ ope Dæmonum vtitur. Non modò Theurgiam exercuit qua ſacrificiis & quibuſdam aliis ceremoniis evocantur Dæmones, quorum afflatu occulta cognoſcebat, & futura prænuntiabat, miraq; edebat opera; ſed & Gœtiam ac Necromantiam, qua excitare ſe aiebat mortuorum animas, & per eas de rebus occultis & futuris reſponſa captare.

Nefarium illum mortem ſceleribus dignam obiiſſe, referunt Scriptores Eccleſiaſtici. Valente Imperium tenente, quidam Magi & Philoſophi, inter quos Iamblicus, incrementum Chriſtianæ religionis ægrè ferentes, iniere conſilium de prænoſcendo quis eſſet Valenti in

Imperio ſucceſſurus, an è Chriſtianis aliquis; hocq; divinationis genere vſi ſunt. Omnes elementarij elenchi literas pavimento inſcripſerunt, quas tritici granis operuerunt, recitatiſque quibuſdam magicis carminibus, gallum gallinaceum admiſerunt, vt ex quibus literis granum ſumeret, animadverterent quis ſucceſſor à Diis deſtinaretur Imperatori: gallus autem grana omnia roſtro petiit quæ has literas Θεοδ. tegebant; vnde Theodorum virum inter ſatellites Imperatorios inſignem, ſed Gentilem, Imperio potiturum opinione augurati ſunt. Cùm ea res Valenti innotuiſſet, ira inflammatus eſt, quaſi vitæ ſuæ inſidias ſtruxiſſent. Quare Magos & Philoſophos pluſquàm centum trucidari iuſſit. Iamblicus extrema ſenectute preſſus, ne ad ignominioſum ſupplicium traheretur, hauſto veneno ſibi mortem conſcivit. Interea Imperator ſucceſſoris metu, omnes Theodoros, Theodulos, Theodotos, & Theodoritos illuſtres genere, vel potentia & opibus præſtantes, de medio tolli iuſſit. Verùm Theodoſio, Hiſpani principis filiolo, cuius patrem cognominem interfecerat, imprudens pepercit; qui illi poſtea ſucceſſit. Alij aliter factum Magorum enarrant.

Aleſtrio mantia.

Zonaras

Zonaras *Tom*. 3. & alij, id per ἀλεκτρυομαντείαν vti diximus, egiſſe ſcribunt. Socrates dicit factum per νεκυομαντείαν. Sozomenus per oraculum ex tripodis machina laurea, quem Nicephorus ſequitur. Ammianus verò illius temporis ſcriptor, longè aliter. Hunc vide *libro* 26.

Socr.l.4. c. 15.
Sozom. l.6.c.5.
Niceph. l.11.c.45.

X 2

DE SIBYLLIS,

aliisq́

MVLIERIBVS

FATIDICIS.

DE SIBYLLIS ET LIBRIS SIBYLLINIS

SIBYLLARVM nomen, magna in veneratione fuiſſe apud Veteres, conſtat. Credebantur eſſe mulieres Deo plenæ, quæ cùm pectore divinum numen recepiſſent, vaticinabantur. Ita dictas ait Servius *in Aen.* 4. quaſi Σιȣ̃ βȣλὰς *Conſilij Deorum participes.* Dores enim & Aeoles pro Θεὸν dicunt Σιὸν. Quid ſi huius nominis Etymon arceſſatur à Rabbinico קבל *Kibbel, recipit, accepit*; vnde *Kabbala* vocatur Theologia myſtica, doctrina ſcilicet cœlitùs traditione accepta?

Regnante Romæ Tarquinio Priſco, (vt Lactantius ex Varrone obſervat; non *Superbo* vt habent Dionyſius Halicarnaſſeus, Plinius, & Gellius,) anus quædam hoſpita atque incognita, Regem adiit, novem libros ferens, (*Plinius tres tantùm memorat*) quos eſſe dicebat divina oracula, eos velle venundare. Tar-

Dion. halic. l. 4. Plin. l. 13. c. 13. Gell 1. c. 19.

quinius precium percunctatus eſt; mulier immenſum popoſcit: Rex quaſi anus deſiperet riſit: tum illa tres è libris, ſpectante Rege, flammis dedit; & ecquid reliquos ſex eodem precio emere vellet, Regem denuò interrogavit. Sed enim Tarquinius id multò riſit magis. Mulier itidem tres alios libros exuſſit, atque id ipſum placidè interrogavit, an tres reliquos eodē precio emat. Tarquinius iam ore ſerio atq; attentiore animo fit; eam conſtantiam confidentiāq; non inſuper habendā intelligit: libros reliquos tres mercatur nihilo minore precio quàm quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc â Tarquinio degreſſam, poſtea nuſquam loci viſam conſtitit. In tribus igitur illis de novem relictis libris, quum Tarquinius fata Romanorum, & alia miranda contineri vidiſſet, Duum viros Sacerdotes conſtituit, quorum fidei ac cuſtodiæ mandarentur. Erantq; illi è civibus illuſtres viri, qui huic Sacerdocio præficiebantur. Horum officium erat, Libros Sibyllinos cuſtodire, eoſq; ſi Senatuſconſulto juſſi eſſent, adire & quæ legiſſent, propoſitæq; quæſtioni appoſita inveniſſent, Senatui fideliter referre; omniaq; ea, quæ Sibyllinorum oraculorum iuſſu facienda erant, peragenda

procurare

procurare. Ipſi libri Romæ, in delubro Iunonis quod erat in æde Iovis Capitolini, in cella quadam ſubterranea, arcæ lapideæ incluſi aſſervabantur. Fas autem non erat abſque iuſſu Senatus, libros Sibyllinos adire, vel aliis legendos nedum deſcribendos, concedere. Itaque quum Duumvirûm alter, M. Attilius, Petronio cuidam hos Libros deſcribendos dediſſet, & ita patriæ ſacra profanaſſe, arcanaq; prodidiſſe viſus fuiſſet; Tarquinius eum culeo bubulò inſutum, tanquam parricidam, in mare proiecit. Nihil enim Romani οὔτε ὅσιον οὔτε ἱερόν (*Vt ait Dionyſius Halicarnaſſeus*) tam diligenter quàm Sibyllina oracula, cuſtodiebant. *Dion. Hal. l. 4.*

Poſt 213. annos Duumviri abrogati, & eorum loco Viri decem nobiliſſimi & integerrimi cuſtodes creati, quorum idem officium quod Duumvirûm anteà. Ij, *Sacrorum Decemviri* dicti. Mox XVviris libros fatidicos committere viſum eſt. Tandem verò numerum eorum ad XLviros auxerunt. Adibantur itaque hi libri in rebus arduis, tanquam fatorum futurorum oraculum quoddam; putà ſi prodigia apparuiſſent; ſi terræ motus fuiſſet; ſi ſeditionibus turbaretur ſtatus Reipublicæ; ſi in bello inſignis aliqua clades accepta eſſet; ſi peſtilentia

oborta, aut fames graſſaretur. In his & ſimilibus caſibus, conſulebantur libri Sibyllini à Sacerdotibus, præeunte Senatus conſulto; vt quid facto opus eſſet ex his edocerentur. Et ſæpè vrbem à graviſſimis periculis liberaſſe crediti ſunt; ideoq́; divino numere conceſſos æſtimabant. Cùm verò anno vrbis 671. ante Chriſtum 83. ſive per inſidias, vt quidam autumarunt, ſive fortuito incendio conflagraſſet Capitolium, ſimul interierunt libri Sibyllini cum aliis donariis Iovis. Verùm anno ſeptimo poſt incendium, reſtituto Capitolio, Cn. Octavius & C. Scribonius COSS. ad Senatum retulerunt, vt Erythras & in vicina loca, perq́; omnem Græciam mitterentur Legati, qui carmina Sibyllina quæcumque adipiſci poſſent colligerent, & Romam deportarent; ſi fortè vel eadem vel ſimilia, de fatis Romæ inde cognoſci poſſent. Miſſi itaque P. Gabinius, M. Octavius, & L. Valerius, qui paſſim à privatis fragmenta quædam deſcripſerunt, & verſus circiter mille congeſſerunt: quibus poſtea ex Italicis quoque quibuſdam vrbibus allati alij verſus, cuiuſcunque Sibyllæ, aut vndequaque accepti, additi fuere. Nonnulli etiam affirmant commodùm eveniſſe, vt dum Legati

Romani

Romani conquirendis Sibyllinis occupati eſſent; Erythris, templo Apollinis fortè exuſto, tres illi libri, quorum Tarquinius exemplum olim acceperat, in adyto quodam illius templi, vbi occultati fuerant, denuò invenirentur: quos & ipſos cum cæteris verſibus collectis, Romam ſecum deportarunt Legati.

Verùm quantacumque cura aſſervarentur libri, his nihilominus aut fraude XV virorum, aut authoritate Magnatum, aut cùm Reipublicæ intereſſe credebatur, furtim carmina inſerebantur; quæ poſtea Sacris præfecti, qui de compacto rem gerebant, evulgabant. Vt cùm Iul. Cæſar regium nomen & inſignia affectabat, ſubornati ſunt Quindecim Viri, qui quoniam libris fatalibus continebatur, (ita enim affirmabant) Parthos niſi à Rege vinci non poſſe, vt Cæſar Rex appellaretur, ſuadebant. Suetonius *in Iul. c.* 79. Cùm itaque multa adulterina irrepſiſſent; poſtquam Pontificatum Maximum ſuſcepiſſet Auguſtus, quicquid fatidicorum librorum, nullis vel parùm idoneis authoribus vulgò ferebatur, ſuper duo millia vndique contracta cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos. Hos quoque delectu habito, condiditq; duobus forulis auratis ſub Palatini A-

pollinis baſi, vt narrat idem Suetonius *Aug. c.* 31. At cùm iterùm atque iterùm ſub Nerone conflagraſſet Roma, iiſq; flammis hauſtæ ſint eæ vrbis regiones in quibus reconditi erant Sibyllini libri, quin & ipſi combuſti ſint, vix dubitari poteſt.

Ex his ſatis patet de Sibyllis nihil certi habuiſſe Ethnicos: Verùm cùm nihilominus affirmarent Sacris præfecti, ſe divinos ſervare libros, quorum arcana in vulgus produci nefas eſſet; vt in vetita nititur ingenium humanum, tantò avidiùs occulta noſcere multi expetebant. Id deceptores compulit, vt ſubinde fictitios verſus quos Sibyllis adſcribebant, ementirentur: quia verò ij Rempublicam non ſpectabant, quò minùs in vſu eſſent cupientibus, prohibitum non erat.

Eandem occaſionem avidè arripuerunt quidam falſo zelo Chriſtianæ religionis promovendæ incenſi: nondum enim abierant anni centum à morte Chriſti, cùm plurima carmina Sibyllina præferebantur, quibus Ethnici ad fidem allectarentur. Idq; ſic paſſim & imprudenter factitabatur, vt Ethnicos non lateret fucus, qui populari dicterio, Chriſtianos *Sibyllinos* appellabant.

Extant

Extant etiamnum hodiè octo libri vulgò *Si-* *Iuſt.*
byllini dicti, qui à Iuſtino Martyre ſcriptore anti- *Mart.*
quiſſimo, Clemente Alexandrino, & pleriſ- *Apol. 2.* *Cl.*
que veteribus Chriſtianis, pro vero & genui- *Alex.*
no Sibyllarum fœtu cenſentur. *Strom.*

Hos tamen poſt annum Domini 130. fictos fuiſſe, & res ipſæ liquidò vincunt; & clariſſimus Blondellus, opere Gallico de Sibyllis, luculentiſſimè demonſtravit.

Primò enim quis credat Gentiles voluiſſe in Prophetiſſarum numerum admittere, quæ ſe ſcortum & proſtibulum fuiſſe fatetur *lib.* 7. *in fine.*

Μύρια μὲν μοι λέκτρα, γάμος δ᾽ οὐδεὶς ἐμελήθη.

Talis ſi Paganorum fuiſſet Sibylla, non adeò fuiſſet inter illos decantata, quippe qui adulterium ſummoperè execrabantur. Quid quod Græcè ſcripſit cùm nondum erat lingua Græca; & ignoravit linguam Hebraicam quæ tamē ſola tunc erat, ſi verum eſt quod perſonata illa Sibylla refert, ſe ſcilicet cū Noha in arca fuiſſe? Præterea plena ſunt mendaciorum ſpuria hæc Sibyllina oracula, & S. Scripturæ contradicunt. Moſes *e. gr.* narrat Noham degiſſe in arca annum integrum; at Sibylla illa fictitia dicit illum degiſſe tantùm per XLI. dies. Pariter

ἀντίγραφον eſt quod dicit de monte Ararat, illum in Phrygia ſitum eſſe, eumq́; poſt diluvium emerſiſſe.

Authorem horum carminum fuiſſe Chriſto poſteriorem hinc patet, quod multa narrat quaſi præterita, quæ nonniſi poſt Chriſtum natum contigere; vt cùm affirmat falſa Sibylla ſe vidiſſe alterum ædis Veſtalis incendium; at verò illud contigit ſub Imperio Commodi, CLXX. anno Chriſtum, aut circiter. Dicit etiam *lib. 2. circa finem*, damnatos liberandos poſtquam pœnas infernales per aliquot ſecula erunt perpeſſi; qui Origenis fuit error, antè ignotus. Meminit etiam ludorum Iſelaſticorum, qui Traiani tempore demum innotuere, *teſte Plinio ſecundo*. Verùm, vt hæc aliaq́; multa prætermittam, vel hoc vnum fidem facit hæc carmina à Paganorum Sibyllis non eſſe profecta, quod illa clariùs enunciant futura de Chriſto, quàm ipſi Prophetæ. Eſaias ait Virginem parituram; ficta verò Sibylla, *Maria virgo pariet Ieſum in Bethlehem*. Exactè notat omnes circonſtantias, nomina propria perſonarum de quibus vaticinatur. Prædicit *e. gr.* baptiſmum Chriſti in Iordane; deſcenſum Spiritus S. ſub forma columbæ, aliaq́; de quibus nihil

nihil legitur apud Prophetas. Extat etiam in iis carminibus acroſtichis, in qua primæ literæ verſuum ſunt, Ἰησοῦς χρειστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός; Id eſt, *Ieſus Chriſtus Dei Filius, Servator, Crux.* Sanè ſi quæ talia ſcripſerunt, fuerunt mulieres Ethnicæ, ab eiuſmodi infidelibus ſuperatos ſanctos Prophetas vaticiniorum claritate, fatendum erit. At ſi id verum eſt, qui ſtabit quod affirmat Dauid *Pſal. 76. Deum in ſola Iudæa cognitum eſſe?* Item *Pſalm.* 147. *Deum annunciaſſe verba ſua Iacobo, ſua ſtatuta & mandata Iſraëli, non ita feciſſe cæteris gentibus; ideoque has eius iudicia ignorare?* Cur Paulus *tempora ignorantiæ* vocat, ea ſecula quæ Evangelij prædicationem anteceſſerunt? Cur idem affirmat *Act.* 14. *Deum præteritis ætatibus ſiviſſe Gentes ipſarum viis incedere*? Cur eam eſſe diceret præſtantiam Iudæorum, *Quod iis credita ſunt oracula Dei, Rom.*3.? Cur Gentiles cum Iudæis collati, vocantur *Gentes intelligentiæ expertes, Rom.* 10? Ea omnia verè dici non poſſunt, ſi Ethnici clara illa & Propheticis longè evidentiora Sibyllarum carmina habuerunt. Illorum tempora non ignorantiæ, ſed lucis & cognitionis fuerunt. Nulla fuit præ iis prærogativa Iudæorum; imò maxima fuit Ethnicorum in Iudæos, quibus Sibyllæ

oracula Propheticis longè clariora, fuderunt.

Vnum præterea addo, ſuppoſititia eſſe hæc ſcripta & poſt Chriſti tempora confićta, inde etiam liquere; quod apud Platonem, Ariſtotelem, Theophaſtum, & tot alios è Paganis curioſiſſimos omnium diſciplinarū ſcrutatores, eorum quæ apud Sibyllas miramur, nullum penitùs exſtat veſtigium. Fuit ergo id Chriſtianorum inventum sub initia Novi Teſtamenti. Primis enim illis Eccleſiæ temporibus, quàm plurimi extiterunt, vt legentibus hiſtoriam notum, qui palmarium iudicabant, cæleſtem veritatem figmentis ſuis ire adiutum; quò faciliùs ſcilicet nova doctrina à Gentilibus admitteretur. *Pias fraudes*, & *officioſa mendacia* iſta vocabant, bono fine excogitata. Eo ex fonte orti ſunt libri ſexcenti, quos illa ætas & proxima viderunt, de quibus conſulendus Doctiſſimus Dallæus *De vſu Patrum, & Pſeudepigraphis.*

Sed vt fictitia illa carmina mittam; quæ de ipſis Sibyllis tradiderunt Ethnici, adeò incerta ſunt & confuſa, vt de numero, patriâ, parentibus, de loco vaticiniorum, tempore & aliis, maxima inter eos ſit diſcrepantia. Alij vnam tantùm fuiſſe commemorant; eamq;, alij Iovis, alij Apollinis, alij aliorum parentum filiam faciunt.

ciunt. Quidam Aegyptiam, alij Samiam, alij Cumæam, alij Erythræam, alij aliunde oriundam contendunt.

Quorumcunque autem parentum, & cuiuſcunque patriæ fuerit; ea ab Apolline cuius Sacerdos fuerat, adamata dicitur, qui ei quicquid vellet poſcendi arbitrium obtulit; Illa arenam manibus hauſit, & tot annorum quot arenularum corpuſcula eſſent, vitam popoſcit, quam Apollo ei præſtitit. Eam ſic loquentem inducit Ovidius *Metam. l.14.*

——Dum Phœbus corrumpere dictis
Me cupit, Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes:
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hauſti
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit, vt peterem iuvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, æternamq́ iuventam,
Si Venerem paterer. Contempto numine Phœbi
Innuba permaneo. Sed iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloq́ gradu venit ægra ſenectus;
Quæ patienda diu eſt. Nam iam mihi ſæcula ſeptem
Acta vides; ſupereſt numeros vt pulveris æquem,
Ter centum meſſes, ter centum muſta videre.

Illa igitur Cumis in Campania Italiæ, per multa ſecula in thalamo ſubterraneo habitans, interrogantibus reſponſa dabat. Oracula in palmarum foliis conſignare ſolitam eſſe, Virgilius canit *Aeneid.* 3.

Inſanam vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſq; notas & nomina mandat.
Quæcunque in foliis deſcripſit carmina virgo
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit.

Adeò autem eius vaticiniis certa fides fuit habita, vt etiam in Proverbium eius folia abierint; & ſi quæ indubitata haberi deberent, *Sibyllæ folia* dicerentur, Iuven. *Sat.* 8.

Quod modò propoſui, non eſt ſententia: verum eſt.
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Eam eſſe memorant quæ libros Tarquinio, de quibus ſuprà, obtulit. Alij verò plures fuiſſe eiuſmodi μάνθιδας volunt, ſed de numero non concordant. Martianus Capella *in fine libri* 2. duas tantùm agnoſcit, Erythræam & Phrygiam. Plinius & Solinus tres, de quibus Auſonius,

Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ.

Aelianus quatuor. Alij ſex. Dionyſius *lib.* 1. novem. Marcus Varro, decem. Alij denique

denique duodenarium numerum ſtatuunt; quarum ſequentes paginæ exhibent icones, & eorum quæ de iis prodita ſunt brevem narrationem.

Decem quas vult Varro, hoc ordine collocat; Perſicam, Libycam, Delphicam, Cumæam, Erythræam, Samiam, Cumanam alteram, Helleſponticam, Phrygiam, Tiburtinam.

Harum libros qui ſupereſſe dicebantur, Stilico ne ampliùs legerentur à quoquam, igni abſumpſit. Theodoſius autem Imperator, Collegium XXvirûm cum reliquis Ethnicorum ſuperſtitionibus abolevit, anno ſalutis humanæ 390. Vnde & iterùm patet, illa quæ hodiè circumferuntur carmina Sibyllina, genuina non eſſe.

Perſica Sambethe, vel Saba.



Perſica ſeu Chaldæa fui, patre nata Beroſo
Sambethe Pythijs Vaticinata modis.

PERSICA SIBYLLA

PRimam recenſet Varro Sibyllam *Perſicam*, quam alij Babyloniam, alij Chaldæam, alij Hebræam, alij Aegyptiam appellarunt. Nomen eius proprium *Sambetha*; vel vt Pauſanias habet, *Sabba*. Natam dicunt patre Beroſo, matre Erymanthe, in oppido ad mare rubrum, cui Noë nomen. Vnde aliqui Nohæ Patriarchæ filiam vel neptem fuiſſe contendunt, præſertim cùm *l.* 1. *Carm.* Sibylla, vnà ſe cum Noha in arca effugiſſe αἰπὺν ὄλεθρον, *diſcrimina mortis*; & *lib.* 3 de eodem Noha verba faciens, affirmet ſe eius ſanguine ortam. Huius omnium antiquiſſimæ Sibyllæ, hiſtoriam deſcripſiſſe Nicanorem illum qui Alexandri Magni res geſtas memoriæ mandavit, Lactantius ex Varrone annotat. Libros eius viginti quatuor fuiſſe, Suidas teſtis eſt: in quibus innumera cecinit de regnorum mutationibus, de Chriſto, de AntiChriſto, & ſingulatim de Alexandro M., qua occaſione etiam Nicanor eius hiſtoriam rebus Alexandri interpoſuit. Horum librorum fragmenta adhuc aliqua apud Lactantium

*lib.*1.*cap.*6.& Auguſtinum *lib.*18.*de Civit.Dei, cap.* 25. paſſim habentur.

Tempus quo floruit, etſi vulgò diluvio definiatur, ſi tamen verum eſt quod Beroſo parente progenita fuit, longè poſteriorem fuiſſe ſtatuendum eſt. Conſtat enim Beroſum fuiſſe Chaldæum, & Beli in Babylone Sacerdotem, vt teſtis eſt Tatianus Aſſyrius *Orat. adv. Græcos*, eumq́; tempore Alexandri M. vixiſſe. Alij non hunc Beroſum recentiorem Sibyllæ Perſicæ patrem fuiſſe dicunt, ſed alium antiquiſſimum prophetam, qui ante bellum Troianum vixerit. Pauſanias ſcribit illam conſueviſſe cum Hebræis qui ſupra Palæſtinam habitabant, ex quorum libris multa didicerat, ideò Hebræam & Chaldæam dictam. Hanc eandem fuiſſe cum regina illa Saba de qua 1. *Reg. c.* 10. 1. quæ audiens famam Salomonis Hieroſolymam venit, vt illius ſapientiam audiret, nonnullis placet: Ac ſanè Saba dicta eſt, & Perſica, & Arabica. Verùm Beroaldus *in Chronico* per Sabæos, Arabici ſinus accolas, item alios populos alteri ſinui, Perſico nimirùm vicinos, intelligit: reginamq́; illam ſapientiſſimam non ex Æthiopia, ſed potiùs Arabia Fœlici

lici, aut ſinu Perſico, veniſſe ſtatuit. Nec ille modò, ſed Martyr *in* 1. *Reg.* 11. aliiq́; quia regina Auſtri, à Chriſto fuit appellata: ſinus autem Perſicus & Arabia Fœlix, Iudææ regionis reſpectu, ad Auſtrum ſpectant.

Libyſſa vel libyca Eliſſa.



Ut genus e Libya, venit mihi nomen Eliſæ:
Mi cortina Clari ſerviit, atque Sami.

LIBYCA SIBYLLA

LIbyca, vel Libyſſa Sibylla ſecundo loco collocatur à M. Varrone, quæ proprio nomine dicta eſt Eliſſa. Hanc ex Iove & Lamia Neptuni filia procreatam, tradit Pauſanias *in Phocaïcis*. Eam proprio nomine Sibyllam vocatam eſſe volunt, à qua omnes poſtea prophetiſſæ mulieres, propter ſimilitudinem enthuſiaſmi, & inſpirationem divinam, Sibyllæ cognominatæ ſint. Diverſis in locis oracula reddidiſſe fertur; in Claro vrbe Colophoniorum; inde Delphis; maximam tamen vitæ partem tranſegiſſe in Samo. Hanc eam eſſe cenſet Lactantius *lib*.1.6.cuius Euripides *in Prologo Lamiæ*, mentionem facit. Tribuuntur illi variæ prædictiones adverſus idolorum cultores: Item de Chriſto, eiuſdemque paſſione & miraculis: de mundi conflagratione; de Iudicio extremo, Mortuorum reſurrectione, Vita æterna piis & Dei cultotibus præparata; De impiis, iraq; Dei quam certò ſubituri ſunt; Denique de everſione vrbium, & regnorum mutationibus, aliiſq; cladibus, quibus à Deo irato punietur mundus.

Delphica Phoemonoe.



Reddere Boeotis conſueram oracula Delphis:
Heroi inventrix carminis eſſe feror.

DELPHICA SIBYLLA

DELPHICAM Sibyllam, Suidas Theſſa-lonicam vocat. Diodorus verò Daphnem. Quidam illam eſſe exiſtimant quæ Iovis & Lamiæ filia fuit; alij Ariſtocratis & Hydoles; alij ab Idæa nympha editam dicunt, patre Theodoro. Hanc multi aſſerunt omnium fœminarum quæ oracula reddiderunt antiquiſſimam, longèq; ante bellum Troianum prophetaſſe. Eius ex verſibus Homerum poëtam multa ad ornatum ſui pœmatis ſumpta tranſtuliſſe, refert Diodorus Siculus *lib. 4. cap. 6.* Suidas, ait eam quum Argivi Thebas expugnaſſent, inter captivos reliquos Delphos miſſam eſſe, vbi Apollinis vaticiniis divinandi peritior facta, oraculis aliquandiu inſervierit. Clemens Alexandrinus, ſaxum quoddam iuxta Bulenterium oſtendi teſtatur, ſuper quo Sibylla Delphica ſedens oracula cecinerit. Quumq; diu Delphis commorata fuerit, factum eſt vt à multis ibi nata crederetur, eademq; fuiſſe iudicaretur, quæ Themidis nomine aliàs celebris fuit. Huic tribuuntur multæ prædictiones, De vno vero Deo, & de Chriſto Servatore.

Scripto etiam mandavit, Incarnationem, Doctrinam, Miracula, Paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti in cœlum. De hac Chryſippum in libro *de Divinatione*, ſcripſiſſe Lactantius ex Varrone, affirmat. In huius libris Auguſtinus *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 21. ſe hæc verba reperiſſe ait; *Naſcetur Propheta ex Virgine abſque humana corruptione.* Vixiſſe dicitur ante Chriſtum 1200. annis.

CVMÆA

Cumæa Erophile, vel Sÿmmachia.



Arcani Phoebus cenſetur carminis auctor:
Cumæo expreſſi quod Pÿthia e tripode.

CVMÆA SIBYLLA

CVmæa dicta eſt à Cumis, quæ vrbs eſt in Campania, omnium in Sicilia & Italia vrbium antiquiſſima. Nomen habet ἀπὸ τȣ̃ κύματος à fluctibus, nam propinqua eſt mari. Illic, teſtibus Virgilio & Solino, erat Sibyllæ ſacellum, in quo prophetaſſe dicitur. Iuven. Sat. 3.

Quamvis digreſſu veteris confuſus amici
Laudo tamen vacuis quod ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque vnum civem donare Sibyllæ.

Cæterùm de proprio huius phœbadis nomine plurimùm diſcrepant inter ſe authores. Pauſanias eam vocat *Demo*: Alij *Amaltheam*; Suidas, *Eriphilen*: Virgilius, *Deiphobem* Glauci filiam, qui & ipſe clarus fuit vaticiniis ac divinatione: Ariſtoteles *Melanchrenam* cognominat; Lactantius *lib. de Ira Dei*, eam eſſe affirmat quæ Tarquinio libros fatales vendidit: Virgilius verò & Ovidius longè antiquiorem eſſe volunt, qui teſtantur ad eam veniſſe Aeneam ſciſcitatum de ſtatu fortunarum ſuarum; certum autem eſt inter Aeneam & Tarquinium, interceſſiſſe annos pluſquàm ſexcentos. Refert

Iuſtinus

Iuſtinus Martyr, ſe cùm Cumis eſſet in Campania, vidiſſe locum quendam, vbi baſilica ingens erat vno fabricata ſaxo, ibiq; oracula reddere ſolitam Cumæam Sibyllam, affirmaſſe accolas. Eam baſilicam duraſſe tradunt ad annũ Domini 1539. quo terrę motu everſa eſt. Etiamnũ hodiè, teſte Boiſſardo, oſtenditur ſuper lacu Averno ſpelunca, quæ Sibyllæ dicitur, vaſta & ſpatioſa, artificioſa teſtudine excavata; hæc poſt longum amplumq; meatum ſub monte extẽſa, tandem muro obducto finitur; qui ideò extructus eſt, quod plurimi advenæ curioſitate ducti, per anfractus illos ſubterraneos, obſcuros & multiplici ambage reticulatos, ſeſe in inferiora loca demittebant; cumq; illis reditus liber non daretur, lucernis propter ſulfureas exhalationes ſuffocatis, miſerrimo vitæ exitio pœnas nimiæ curioſitatis ſuæ luebant. Eam ſpecum ſic deſcribit Virgilius *Aen.6.* *Admon. ad.Grae*

At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petit; magnum cui mentem animumq;
Delius inſpirat vates, aperitq; futura &c.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroq; remugit,

Obſcuris vera involvens. Ea fræna furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.

Huius Sibyllæ nomine feruntur varia oracula; De vno Deo; De Chriſto vero eius filio, æquali patri; De eius incarnatione & è Virgine Maria ortu; De adoratione Magorum in Bethlehem &c.

Vulgò creditur ex huius prædictionibus, Virgilium petiiſſe Eglogam ſuam quartam, in qua γενεθλιακὸν Salonini Pollionis filij deſcribit, cuius principium eſt, *Sicelides Muſæ* &c. in qua varia contineri putant, quæ nonniſi in Chriſto completa ſunt, maximè quæ ſequuntur,

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna
Iam nova progenies cælo demittitur alto &c.
Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras. &c.

Ex huius Eglogæ verſuum lectione Secundianum pictorem, & Marcellianum oratorem, Chriſtianos factos eſſe narrant. Eamq; totam recitat Conſtantinus Magnus, & interpretatur de Chriſto. Verùm, vt optimè obſervavit Blondellus, nihil Chriſtiani ſapit hæc Eloga; tota Ethnica eſt, eſtq; mera aſſentatio, quâ Poëta Pollioni benefico cui Conſulatus temlpore

Orat. ad Sanct. cœtum.

tempore natus erat filius, palpatur, proq; eius & infantuli ſalute vota nuncupat. Eaq; poëtico more fingit; tantam ſcilicet ſub Salonino illo cùm adoleverit, omnium rerum fœlicitatem futuram pollicetur, vt rediiſſe credatur ætas illa aurea qualis erat ſub Saturno, vbi & aër ſaluberrimus erat, & terra fœcundiſſima, quæ nullo cultu aut labore, per ſe dabat omnia; & homines iuſtiſſimi qui,

——— Vindice nullo

Sponte ſua ſine lege fidem rectumq; colebant,

vt canit Ovidius: vbi reditura ſit *Virgo*, id eſt Aſtræa illa virgo quæ cùm hominum ſcelera ferre non poſſet, ſe in cœlum deſertis terris receperat, vt ait idem Poëta *Metam. l.*1.4. *Admon. ad Græc.*

——— & Virgo cæde madentes

Ultima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.

Si quæ autem extabant huius Sibyllæ carmina, ea apud Aenam civitatem, Iuliano imperante combuſta eſſe, ſcribit Amm. Marcellinus. Quæ itaque illius nomine præferuntur, fictitia ſunt.

Solin. c. 5. *Iſid. l.* 8. *c.* 8. *Boch. Geogr. Sac. p.* 2. *c.* 25.

Pariter & commentitium eſt quod narrant Solinus & Iſidorus, eius ſepulcrum Lilybæi in Sicilia, ſuo ævo adhuc manſiſſe. Fabulam ex eo natam cenſet Cl. Bochartus, quod ad Sibyl-

læ nomen alludit Hebræum זבול (Zebul) *Habitatio*, quod pro ſepulcro paſſim vſurpatur, quia in eo quivis habitat; & Arabs גמאעה (Gumaa) *Univerſitas*. Coniectat itaque Vir ille ſagaciſſimus, quia *Zebul gumaa*, id eſt, *Habitatio vniverſitatis*, ſeu communis omnium ſedes & locus, alicui ſepulcro ad Lilybæum inſcriptum erat, ex illo *Zebul gumaa*, factum *Sibylla Cumæa*.

ERYTHRÆA

Erythræa Demophile ſive Athenais.



Ioniis divûm reſponſa ferebat Erythris,
Demophile Pythio Phoebas amata Deo.

ERYTHRÆA SIBYLLA

HÆc inter Sibyllas fuit nobiliſſima, eiuſq; ſcripta apud multas nationes ſumma cura ſervata ſunt, maximè Erythris, vnde Romani ea Romam transferri curaverunt. Strabo *lib.*14. duas hoc nomine Phœbadas fuiſſe dicit; vnam antiquiſſimam; alteram recentiorem, quæ reſponſa dabat Alexandri M. tempore. Priorem illam, volunt ante bellum Troianum vixiſſe, Troiæq; everſionem, & Helenam in perniciem Europæ & Aſiæ naſcituram, prædixiſſe. De eius patria diſcrepant authores. Lactantius Babyloniam fuiſſe dicit, vocatamq; Erythręam proprio nomine, non ab aliqua vrbe aut regione. Alij verò ab Erythris dictam affirmant: quod Erythræi inprimis pertinaciſſimè aſſerebant, antrum phœbadis nativitate clarum oſtentantes. Vnde & Apollodorus Erythræus, eam popularem ſuam fuiſſe gloriatur.

Statim exciſo Ilio, Aeneæ & eius ſociis futura prædixiſſe fertur, iuſſiſſéque eos verſus Occidentem eò vſque navigare, donec eò locorum pervenerint vbi menſas comederent, referente Halicarn. *lib.* 1. Quod & factum fuit,

quando

quando in Italia triticeas cruſtulas loco menſæ ſubſtratas ſimul comederunt ; vbi Aſcanius, teſte Virgilio, *Et menſas conſumimus*, exclamavit, & vaticinio de ſede hac fatali fidem fecit. Quæ vulgò illius nomine feruntur carmina, varia complectuntur, De creatione mundi generatim, & hominis ſeorſim; De Chriſto Dei filio venturo: De eius miraculis; De bonis quibus mundum beaturus eſt; De extremo iudicio; De pœnis malorum, & fœlicitate bonorum; De fine mundi; De Antichriſto, & vario Eccleſiæ ſtatu.

Huic autem Sibyllæ nobiliſſimæ, Conſtantinus Magnus tribuit acroſtichin illam de qua ſuprà, cuius verſuum literæ initiales, has dictiones conſtituunt, *Ieſus Chriſtus*, *Dei filius*, *Servator*, *Crux*, Sibyllamq; veram fuiſſe huius authorem, teſtem laudat Ciceronem *lib. 2. de Divin.* cuius verba ſunt., *Ea quæ acroſtichis dicitur, cùm deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur, vt in quibuſdam Ennianis, id certè magis eſt attenti animi quàm furentis. Atqui in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ, primis literis illius ſententiæ carmen omne prætexitur: Hoc ſcriptoris eſt, non furentis; adhibentis diligentiam, non inſani.* Verùm falsò Erythrææ Sibyllæ acroſtichin illã

Serm. ad Conv. Sanct.

tribui, vel ex ipſo Cicerone patet. Is enim docet eam fuiſſe carminum Sibyllinorum texturam & artificium, vt primus ſententiæ verſus, in capite & ad latus poematis ſcriberetur: in hoc verò Pſeudo-Erythrææ poemate acroſtichis ex ſolis ad latus literis conſtat, non ſunt eædem in primo verſu. Deinde ex eodem Cicerone manifeſtum eſt, omnia carmina Sibyllinorum librorum quæ apud Ethnicos celebrabantur, eodem artificio contexta fuiſſe; cùm in iis octo libris carminum Sibyllinorum quos iactant Chriſtiani, extent duntaxat triginta quatuor acroſticha. Vnde liquet horum librorum ſarcinatores, nec libros Sibyllinos tantoperè à Paganis decantatos legiſſe, nec ipſum Ciceronem, cùm de Acroſtichis loquitur hos intellexiſſe.

SAMIA

Samia Phÿto ſive Phÿgo.



Divino quoties pectus ſtimulatur ab oeſtro:
Enthea fatidicis ora reſolvo modis.

SAMIA SIBYLLA

SExta Sibylla, quæ annis plus-quàm quingentis Erythræam ſecuta dicitur, Samia fuit, nomine Phyto. *Aelian.lib.* 12. *Var. Hiſt.* eam vixiſſe ſcribit temporibus Numę Pompilij. Auguſtinus ſic de ea lequitur. *Numa regnante Romæ, & apud Hebræos initio regni Manaſſe, Samiam fuiſſe Sibyllam ſcribunt.* Hęc poſt Erythræam docuiſſe fertur, Vnum eſſe ſolum Deum conditorem omnium, cognoſcendum & colendum; & avertiſſe Gentes à cultu Dæmonum & Idolorum. Chriſtum filium Dei eſſe dicit, & excandeſcit in Iudæos qui eum Regem ſuum non agnoverint. De præmiis bonorum & impiorum pœnis multa habet, eoq; ſpectant huius oracula, vt homines à vitiis avertant, & ad morum correctionem adducant. Suidas hanc primam Lyræ triangularis inventricem facit.

Aug. De Civ. Dei l. 18. *c.* 14

CVMANA

Cumana Amalthea vel Demophile.



Venales auro redime hos rex maxime libros
Romanas ſortes pagina ſacra docet.

CVMANA SIBYLLA

M. Terentius Varro Cumanam Sibyllam à Cumæa diſtinguit. Appellatam dicunt à Cumis, vrbe Locrenſis agri, quæ fuit in Ionia Aſiæ minoris, inter vrbes olim florentiſſima. Commigravit poſtea Sibylla in Italiam, vbi oracula reddidit. Multa vaticinata eſſe dicitur, De Romanorum potentia, & imperio futuro; De Chriſto & eius myſteriis. Plerique tamen hanc eandem eſſe cenſent cum Cumæa illâ ſuprà dictâ, & perperam duas conſtitui. Hancq; proinde eſſe quæ Tarquinio Romanorum Regi, ſuprà commemoratos libros vendidit.

HELLESPONTICA

Helleſpontiaca. Demo vel Deiphobe.



Marpeſſo orta feror celebrato in Troade vico
Phœbas Apollineo clara miniſterio.

HELLESPONTICA SIBYLLA

HAnc oracula celebri fama reddidiſſe Cyri ac Solonis tempore, id eſt, ante Chriſtum 159. tradunt; & Marpeſſi oppido Troadis natam, vnde Marpeſia dicta. Nomen proprium fuit Demo. Falluntur qui eam cum Deiphobe Glauci filia, quam conſuluit Aeneas cùm ex Troade veniſſet in Italiam, confundunt. De Chriſto etiam varia prædixiſſe fertur; maximè tenebras illas quæ in eius morte, medio die ſine vlla naturali cauſa, contigerunt.

PHRYGIA

Phrygia Phaennis.



Reſponſis quondam celebrata eſt Ancyra noſtris
Concepto incaluj quando animta Deo.

PHRYGIA SIBYLLA

DE hac Sibylla iſta habentur apud Cœl. Rhodiginum l. 14. c. 1. *Dardanus Samothraciâ relictâ in Phrygiam venit ad Teucrum regem, cuius filias duas vxores duxit, Batiam & Neſonem: ex Neſone nata eſt filia fatidica quæ ſpiritu divino afflata, populis ſciſcitantibus reſponſa de futuris pronunciabat, nomine proprio dicta Sibylla: quapropter ſummo honore culta eſt in Aſia, propter communicationem quam credebatur habere cum Apolline, qui illi inſpirabat oracula admiranda.* Ea vt plurimùm reſponſa ſua dedit Ancyræ, quæ eſt vrbs Aſiæ minoris, inter Paphlagoniam & Galatiam. Hanc ferunt prædixiſſe Chriſti nativitatem ex Virgine Maria, quam illi Angelus Gabriel annunciavit; Item mortem Chriſti; Reſurrectionem poſt triduum; ſui manifeſtationem Apoſtolis, & quæ exibuit impreſſa pedibus & manibus clavorum veſtigia; Reſurrectionem mortuorum, & Iudicium poſtremo ſeculo futurum.

TIBVRTINA

Tiburtina Albunea.



Templa meo Herculeum vovit ſub nomine Tibur
Divorum interpres clara ubi viſa fui.

TIBVRTINA SIBYLLA

DEcima & vltima Sibylla Tiburtina fuit, quæ paulò ante Chriſtum natum floruit. Aliàs nominata eſt Albunea ab Albula fluvio. Propter excellentes futurorum prædictiones ab incolis Anienis ſeu Albulæ fluvij, pro Dea patria culta eſt: maximè poſtquam in vivis eſſe deſiit. Illam templo, aris & ſacrificiis decoraverunt. Quia verò Tiburi ad Albulam, ſua reddidit oracula, Tiburtina dicta eſt. Hæc dicitur Auguſtum Cæſarem, puerum Hebræum Virgine natum, adorare juſſiſſe; populumq́; inſtituiſſe documentis ſalubribus; iuſticiam ſervandam inter homines docuiſſe; vnicuique ius ſuum tribuendum; integritatem vitæ ſectandam; nec quicquam admittendum quod ius concordiamq́; læderet. Multis poſt illius mortem annis inventa eſt eius ſtatua lapidea, in profundo Anienis gurgite, quam Senatus Romam ſolenni pompa transferri curavit, & in Templo Iovis Capitolini cum Sibyllæ libris reponi. Plinius *lib.* 34. ſcribit ſuo tempore tres Sibyllarum ſtatuas pro Roſtris poſitas Romæ.

Epirotica. Phaennis.



Fatidicas inter numerat Dodona Phaennin;
Quæ cecinit Pythio plena futura Deo.

EPIROTICA SIBYLLA

QVanquam M. Terentius Varro decem tantùm Sibyllas annumerat, tanquam præcipuas, quarum libri maxima religione & cura ſervari Romæ credebantur; certum tamen eſt multas alias fuiſſe Phœbadas, quæ Dæmonum afflatæ ſpiritu, variis in locis vaticinatæ ſunt. Ex harum numero fuit Epirotica, quæ proprio nomine Phaënnis fuiſſe dicitur. Fateor nonnullos velle hanc eandem eſſe cum Phrygia illa de qua ſuprà, plerique tamen ſecus ſentiunt. Tradunt eam ſimul atque ex vtero materno prodiit, quamprimùm de Vniverſi coagmentatione philoſophatam eſſe. Fortaſſe ea eſt, quam Europæam nonnulli cognominant, quæ Theſprotiæ Epiri nata eſt, & in Dodonæo templo reddidit oracula. Liber antiquus qui eſt in Bibliotheca regia, vt refert Boiſſartus, illi hos verſus tribuit,

Virginis æternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles & montes tranſiet altos.
Ille volens etiam ſtellato miſſus Olympo,
Edetur mundo pauper: qui cuncta ſilenti
Rexerit imperio (ſic credo & mente fatebor,)
Humano ſimul & divino ſemine natus.

ÆGYPTIA

Aegÿptia



Sum Peluſiacas vates celebrata per urbes
Quæ ſummi oſtendi myſtica ſensa Dei.

ÆGYPTIA SIBYLLA

SCribit Clemens Alexandrinus *in Prometheo*, fuiſſe Iudicum Hebræorum tempore, regnante apud Aegyptios Pharaone Taracho, fatidicam Sibyllam. Ea eſt procul dubiò quæ Aegyptia dicta eſt, quamq; Aelianus inter quatuor præcipuas Phœbi Sacerdotes fatidicas recenſet; Erythræam ſcilicet, Samiam, Sardicam, & Aegyptiam. Pauſanias tamen hanc eandem eſſe cenſet cum ea quæ Perſica dicta eſt, vel Aethiopica, nomine Saba. Vtcunque ſit, nam de his nihil certi tradi poteſt, huius nomine variæ feruntur prædictiones; De Chriſti Servatoris adventu; De eius incarnatione in vtero beatæ Virginis; De eius miraculis, paſſione, & extremo iudicio. Monuit populos, vt converterentur ad numen illud ſummũ, quod ſuæ divinitatis ſocium admittit neminem. Epheſini templi tota Aſia celeberrimi, everſionem prædixit. Iſidis quoque, & Serapis idolatriam taxat, quorum cultum nefaſtum abolendum pronunciat. Lælius Cleopaſſus hos illi verſus tribuit,

Pauſan. in Phoc.

—Qui Lux æterna, Lumen de Lumine, ſemper

Qui

Qui fuit, eſtq́;, & erit, ſydera ſumma tenens;
Virginis Hebrææ, caſtam deſcendet in alvum;
Factus homo tandem eſt hac genitrice Deus.
Hoc mediante Deo coniungimur : illius ergò
Progenies ſummi dicimur eſſe Dei.

Colophonia Lampuſia



Sum Chalcante ſata, et Phoebo dilecta Sacerdos;
Reſponſa in culta quæ Colophone tuli.

LAMPVSIA SIBYLLA

FVisse dicitur Calchantis illius filia, qui cum Græcis in expeditionem Troianam profectus eſt, quem in dubiis, ceu oraculum conſuluit Agamemnon Imperator, & ſine cuius conſilio nihil moliebantur Græcanici exercitus Principes. A parente igitur inſtituta Lampuſia, Apollinis Pythij Sacerdos conſecrata eſt, magnumq; nomen ſibi vaticinandi peritia comparavit. Nec ſolùm in Aſia, ſed per totam Græciam Europæam, celebris habita eſt. Maximam ætatis partem egit Colophoni, quæ vrbs eſt Aſiæ Minoris, ex qua Homerum natum voluerunt eius cives; vnde Colophonia cognominata eſt.

Variæ leguntur eius prædictiones; De mutationibus regnorum; De bellis, aliiſq; eiuſmodi, quæ ad hanc vitam mortalem ſpectant: Item præcepta quibus homines ad benè vivendum hortatur, vt illius iram vitent, qui malos malè perdet & æternis ſuppliciis afficiet. De hac Strabo, *Sibylla Colophonia Lampuſia dicta, à Calchante oriunda, & ipſa divinationes oraculaq;, & alia quædam verſibus edidit.* Lælius

Cleopaſſus hoc exaſticon illi tribuit,

Me Phœbi cortina tulit, Colophonia vatem
Mendacis tripodes execror vſque Dei.
Eſt Deus æternus, qui nomine non eget; ille
Solus enim mundi poßidet imperium.
Huic ſoli vota atque preces effundite; grata eſt
Illi, quæ ex puro victima corde venit.

Theſſalica Manto.



Templa Clari prima erexi, atque oracla reſolvi
Et noſtris gaudet Mantua nominibus.

MANTO SIBYLLA

FLoruiſſe dicitur Manto, Creontis & Theſæi Thebanorum Regum crudeliſſimorum temporibus, & fuiſſe Tireſiæ vatis, de quo ſuprà, filia. Hæc poſt patris obitum tyrannorum ſævitiam fugiens, in Aſiam venit, Clarumq́; appulit, vbi templum Apollini ædificavit, eiuſq́; ſacris præfuit. Cùm enim vaticinationem à patre edocta eſſet, Phœbiq; inſpiratione adiuta, brevi in tanta celebritate fuit, vt cum clariſſimis Phœbadibus & Sibyllis æquaretur. Tandem Aſia relicta venit in Italiam, ibiq́; à Tiberino rege Albæ Longæ adamata eſt, propter egregiam formam, & animi præſtantiſſimas dotes. Ex eo ſuſcepit Bianorem, aliàs Ocnum dictum, de quo Virgilius *Egloga* 10. *&* *Aen.* 10. Is mortuo patre Tiberino, (qui in Albulam fluvium, ab eo Tiberis vocatum, lapſus periit,) cum matre in tranſpadanam Italiæ regionem ſe contulit, & in ea planitie vrbem ædificavit, quam appellavit *Mantuam*, de nomine matris: Sic enim Virgilius Aen. 10.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis

Qui

Qui muros, matriſq; dedit tibi Mantua nomen.
Mantua dives avis &c.

Nihil ſcriptis illa mādavit quod quidem ad nos pervenerit. Nonnulli tamen, inter quos Ruillius, affirmant eam de Chriſto venturo in mundum, de eius ex Virgine ortu, deq; paupertate, vaticinatam eſſe, ideoq; in Sibyllis numerandam. De hac Ovidius *Metam. lib.6. Fab.3.*

Nam ſata Tireſia venturi præſcia Manto,
Per medias fuerat divino concita motu,
Vaticinata vias.

Themis Cœli et Terræ filia.



Cephiſi ad ripas templo ſum culta Vetuſto
Deucalionæi tempore diluvij.

THEMIS

Θέμις, fas, quod iuſtum eſt & poſitum ad obſervãdum, à τίθημι pono. Gentiles, ſuo more, Deam faciunt, quam fingunt Cœli & terræ filiam: quia ſcilicet homines docet pietatem erga Deum, & juſticiam erga homines colere. Eam aiunt Saturni ſororem & Iovis amitam; quæ Ogygis avi pietatem ſecuta, homines aſſiduis adhortationibus ad benè vivendum compulerit, tum voce tum exemplo; Deoq; nihil gratius eſſe pietate erga cœleſte numen, & charitate erga proximum, docuerit. Huic honores divinos tribuerunt, tanquam Deæ iuſticiæ fautrici, & Dei Sacerdoti primariæ. Fatidicam etiam eſſe dixerunt, quæ futura hominibus prædiceret, & rerum incertos eventus explicaret. Hanc à Iove compreſſam fabulatur Heſiodus in Theogonia, peperiſſe horas Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ εἰρήνην τεθαλυῖαν. Poſt obitum ad cœlos remeaſſe credita eſt, & illic plurimùm authoritatis adepta; Iuſticiæ præeſſe; regibus regni iura præſcribere; populos ad obſequium erga præfectos cogere, æſtimata eſt:

denique in tanta veneratione fuit, vt ſine eius numine exiſtimaverint mundum conſtare non poſſe. Ideo illi Templa & honores divinos ſtatuerunt. Iam ante Deucalionis diluvium illi ſtructum erat delubrum in Bœotia ad Cephiſſum amnem, vbi ſacras ſortes dare dicebatur: Huc veniſſe Deucalionem & Pyrrham canit Ovidius *Metamorph*. 1. vt Deam conſulerent, qua arte genus humanum quod diluvio perierat, reparabile eſſet; quibus reſpondit Dea, velarent caput, oſſaq; magnæ parentis, id eſt lapides qui in corpore terræ, magnæ parentis hominum, ſunt velut oſſa, poſt terga iactarent.

Carmenta Mercurij filia.



Fata Italos Ventura docens Evandria mater
Eſt inter Latias annumerata Deas.

CARMENTA

EA alio nomine Themis & Nicoſtrata dicta eſt : fuitq; Ionij Regis Arcadiæ filia. Carmenta appellata vel à Carmine, cùm enim fatidica eſſet, oracula carminibus reddere ſolebat; vel quaſi *carens mente*, propter furorem quo cùm enthuſiaſmo correpta erat, invadebatur. Ea mater fuit Evandri. De his Livius lib.1. Dec.1. *Evander tum ea loca profugus ex Peloponneſo, authoritate magis quàm imperio regebat: venerabilis vir miraculo literarum, rei novæ inter rudes artium populos: venerabilior divinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ adventum in Italiam miratæ hæ gentes fuerunt.*

Carmenta itaque propter inſignem pietatem & futurorum præſcientiam, exiſtimata eſt commercium familiare habere cum Diis, quorum numine afflata prænoſceret futura, & prædiceret hominibus ad eorum conſervationem. Ideo pro Dea culta eſt inter Aborigenes & Arcades Tiberis incolas: Sacraq; illi inſtituta ſunt *Carmentalia*, quæ quotannis celebrabantur à matronis 18. Cal. Februarij : ab ea dicta eſt porta *Carmentalis*, ſub Capitolio,

ubi

vbi illi templum extructum à matronis Romanis verſus Tiberim: Ita enim Solinus, *Pars infimà Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, vbi & Carmentale fanum eſt; à quo Carmentalis portæ nomen.* Vnde & P. Victor in VIII. vrbis Regione ponit *Templum Carmentale.*

Dicitur autem Carmenta ex Arcadia literarum Græcarum caracteres primùm in Italiam attuliſſe, & iis conceptum mentis exprimere ſcripto docuiſſe: quæ res priùs incognita Aborigenibus, mirifica judicata eſt, & divini ingenij certiſſimum argumentum. Quod & ſuperiori ſeculo contigiſſe legimus Americanis.

Caſſandra Priami et Hecubæ filia.



Prædixit Troiæ excidium Priameia Virgo:
Atque Agamemnoniæ tela cruenta necis.

CASSANDRA.

SCholiaſtes Homeri *in Iliad. B.* tradit, Priamum regem ex Hecuba vxore, Helenum & Caſſandram ſuſcepiſſe : Infantes in templo Apollinis Thymbræi, vbi γενέθλια celebrabant, colludentes obdormiviſſe : Famulas quibus puerorum cura erat demandata, temulentiores eorum oblitas domum abiiſſe : Poſtridiè in templum reverſas, vidiſſe ſerpentes linguis puerorum ſenſoria organa obſtruere: Territas vociferationem edidiſſe : Serpentes clamore excitas, ſub proximas lauros ſe abdidiſſe : Infantes nihil omninò oblæſos exinde vaticinio claros fuiſſe. Cæterùm Caſſandram dici opinantur, quia Caſin, id eſt fratrem Hectora, ſtrenuum habuerit, ac virilem inprimis. Eadem & Alexandra nuncupatur παρὰ τὸ ἀλύξαι, quoniam congreſſus hominum vitavit maximè; vel ab ἀλέξειν, quia vaticinando prodeſſet pluribus. Plutarchus *in Agide*, refert Caſſandram diem ſuum obiiſſe Thalamis, vrbe Græciæ, vbi & Templum habuit oraculis & vndequaque hominum confluentium frequentia celeberrimum, ibique Paſiphaen vo-

Cælius Rhod. l.24.6.

cari διὰ τὸ πᾶσι φαίνειν τὰ μαντεία, quod omnibus vaticinia declararet.

Lycophron in Caſſandra. *Virg. Aen. 2. 8.* *Propert. l. 3.*

Caſſandræ autem hiſtoria aut fabula hæc eſt. Fuit puella eximiâ formâ, ideòq; perditè ab Apolline amata; qui cùm eius concubitum ambiret, puellâq; potiri non poſſet, hanc iubet poſcere quodcunque vellet, ſeq; id præſtaturum per Stygiam paludem iurat, modò corporis copiam faciat. Illa hac conditione promittit; modò divinandi artem edoceatur; quam cùm Apollo tribuiſſet, à Caſſandra quæ impuro promiſſo ſtare noluit, deluſus eſt. Is repulſam ægrè ferens, cùm vaticinandi donum ſacramento conceſſum, revocare non poſſet, ab ea petit, vt ſibi ſaltem oſculum daret, quod cùm illa præſtitiſſet, os eius inſpuit Apollo, effecitq; vt Caſſandra quidem vera vaticinaretur, ſed vt eius vaticiniis nemo fidem adhiberet. *Virg. Aen. 2.*

--- --- Fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei iuſſu non vnquam credita Teucris.

Item *Aeneid. 3.*

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat;
Sed quis ad Heſperiæ venturos littora Teucros
Crederet? aut quē tum vates Caſſandra moveret?

Fruſtra itaque prædixit Troianis omnia mala,

mala, quæ ſi illi recta ſuadenti creditum eſſet, vitari potuiſſent. Primò enim cùm ſomniaſſet Hecuba eius mater, Paridem vtero geſtans, ſe facem ardentem peperiſſe, Caſſandra interpretata eſt, puerum qui naſciturus, cauſam futurum incendij Troiæ; quod & evenit ob raptam à Paride Helenam Menelaï vxorem. Deinde cùm decimo Iliacæ obſidionis anno, equus ille ligneus ad vrbis mœnia duceretur, Caſſandra machinam illam fatalem eſſe prædixit, ac proinde in vrbem minimè admittendam; ſed nemo ſalutaribus eius admonitionibus fidem adhibuit. Admiſſus eſt itaque equus, in quo latebant validiſſimi Græcorum duces, qui noctu machinâ per Sinonem apertâ erumpentes, portam vrbis recluſerunt, Græcoſq; reverſos ex Tenedo admiſerunt, & Ilium ferro flammaq; deleverunt.

Venerat Geraſtus Mygdonis regis Thraciæ filius, ad Troiam, Phrygibus opem laturus; is inſano Caſſandræ incenſus amore erat, eiq; deſponſatus; hunc Caſſandra identidem monebat vt ſe in Thraciam reciperet, alioqui ipſum cum Ilio periturum, quod & accidit: cùm enim ea nocte qua vrbs incenſa eſt, auxilium conaretur ferre Caſſandræ, quam Aiax

Oileus crinibus arreptam trahebat in Minervæ templum, vbi & vim intulit puellæ, à Peneleo Bœotorum duce, interfectus eſt,

Infælix, qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierat &c. *Furentis*, id eſt vaticinantis.

At ſtuprum Caſſandræ non impunè tulit Aiax: Eo enim irritata Minerva, illum, cùm domum repeteret poſt excidium Troiæ, medio mari ictum fulmine, cum navi miſerando perdidit naufragio. Miſella verò Caſſandra tot malis ſuperſtes, in prædæ diviſione, Agamemnoni Græcorum Imperatori ſortitò obtigit. Cùm reditum pararet herus, eum ſeriò admonuit Caſſandra, vt ſibi caveret ab inſidiis vxoris, cuius proditione interimeretur. Sed prædictiones mulieris, ceu deliræ, riſit Agamemnon, quas tamen exitus veriſſimas eſſe comprobavit. Agamemnon enim poſt varia terra mariq; emenſa diſcrimina, Mycenas venit, vbi à Clitemneſtra vxore, conſpiratione facta cum Ægiſtho adultero, vnà cum Caſſandra trucidatus eſt.

Quæ de Caſſandra vera monente, cui tamen ſemper fides defuit, narrant Poëtæ, mythologicè interpretantur nonnulli; aiuntq; fabulam in eos confictam qui ingenio ſunt per-

vicaci

vicaci & aſpero, nec ſe Apollini, *id eſt*, Deo Harmoniæ ſubmittere volunt, vt rerum modos & menſuras, ſermonumq; veluti tonos, acutos & graves, aurium etiam magis peritarum, & magis vulgarium differentias, tempora denique tum loquendi, tum ſilendi, ediſcant & obſervent: licet enim ſint prudentes & liberi, & conſilia afferant ſana & bona, nunquam tamen ferè ſuaſu & impetu ſuo proficiunt; neque ad res tractandas efficaces ſunt; ſed potiùs exitium iis apud quos ſe ingerunt maturant; & tum demum poſt calamitatem & eventum, vt vates & in longum proſpicientes, celebrantur. Sanè huius rei exemplum eminet in M. Catone Vticenſi. Ille enim interitum patriæ & tyrannidem, primò ex conſpiratione, deinde ex contentione Cæſaris cum Pompeio ſecutam, diu antè tanquam è ſpecula prævidit, & velut è tripode prædixit; ſed nihil profecit interim, verùm obfuit potiùs, & mala patriæ acceleravit. Id quod prudenter advertit, & eleganter deſcribit Cicero, cum ad amicum ita ſcribit, *Cato optimè ſentit, ſed nocet interdum Reipublicæ: loquitur enim tanquam in Republica Platonis, non tanquam in fæce Romuli.*

Baco de Sapientia Veterum.

Polyxo.



Lemnia ſum Vates, Phoebo dilecta Polyxo;
Vlciſci facinus per ſcelus auſa virûm.

POLYXO


DVas mulieres nomine Polyxo celebrat antiquitas; vnam Argivam Tlepolemi Principis Rhodij, qui in expeditione Trojana cecidit, vxorem; quæ famoſa reddita eſt cæde Helenæ. Cùm enim mortuo Menelao, ab eius filiis pulſa eſſet Rhodumq́; veniſſet ad Polyxo cognatam ſuam; hæc necem mariti vlciſci cupiens, Helenam hoſpitio excepit, & in eam dum lavabat, ancillas furiarum ornatu immiſit, quæ illam prehenſam & ad arborem ſuſpenſam, laqueo necarunt; vt refert Pauſanias *in Laconicis*. Altera verò fuit Polyxo maga, atque à mendace & homicida ſpiritu obſeſſa, quæ Lemnios alioſq; Græciæ populos decepit. Fuit enim Lemnia & Sacerdos Apollinis, quæ ſciſcitantibus reddebat oracula ac futura prædicebat, magno hominum concurſu.

Narrant, aliquando Lemnias mulieres Superis omnibus ſacrum feciſſe, Iunoni maximè Pronubæ nuptiarum præſidi; Dianæ item Lucinæ, quæ parturientibus & infantibus in lucem venientibus opem ferret; vnius Veneris

numen conſultò neglexiſſe; quod eſſet incitatrix ad inſanas libidines quibus iuventus à nuptiali thoro avocatur. Hunc contemptum Venus cùm ferre non poſſet, in matronas Lemnias animadvertere ſtatuit. Mephitim graveolentiæ Deam immittit, quæ mulierum alis & inguinibus virus ſuum immitteret; vnde factum vt maritis fætore eſſent intolerabiles. Hi itaque vxoribus repudio miſſo, nuptias mutarunt, & thalamo puellas è Thracia atque Aſia accitas, ſubſtituerunt. Lemniæ matronæ ignominioſo hoc divortio perculſæ, Polyxûs vatis conſilium requirunt; ea ſuadet vt conjuratione facta omnes viri trucidentur. Immane id conſilium, ſtatim executioni mandatum eſt; viros enim nihil tale timentes, per ſomnum adortos omnes iugularunt. Poſt interfectos viros, Lemniæ mulieres, hortatu Polyxûs Venerem placare ſtuduerunt, & avertendæ graveolentiæ cauſa hircum & capram Deæ immolarunt, quibus victimis reconciliata eſt Venus. Sed tetro in poſterùm avertendo odore, ſecum terram illam Lemniam, redactam in paſtillos & ſigillo capræ, ſeu vt vult Galenus, Dianæ ſignatam, geſtabant. Etiamnum hodiè ea terra quæ *Sigillata* vulgò dicitur ab impreſ-
ſione

ſione putà ſigilli, ſummo eſt in precio. Vt verò olim ſignum capræ vel ſtellæ, ita nunc caracteres Turcici, adulterationis metu, globulis illius terræ imprimuntur. Literis Arabicis inſcribitur *Tin imachton*, hoc eſt; *Terra ſigillata*. Locus vnde terra illa eruitur ita abſconditus eſt & tectus, vt niſi ab accolis cognoſci nullo modo poſſit. Effoditur ſtatuto tempore ac ſolenni ritu, eamque magna difficultate robuſtiſſimi foſſores, in profundiſſimis venis latitantem, rimantur & perquirunt. De hac Busbequius Epiſtola 3. ſic ſcribit. *Fuit*, inquit, *Græcorum inſtitutum vt non niſi ſexto die Auguſti, feſto Transfigurationis Domini, ſpecus recluderetur, vnde in Lemno terra, quam* Αἴγος σφραγῖδα *à ſigillo capræ, vocabant, hauritur. Idem inſtitutum hodieq; ſervant Turcæ; & vt olim Sacerdos Græcus liturgiam ibi celebrabat, ſic & illam hodie celebrari volunt, ipſi quidem ſacrorum ex longinquo tantùm ſpectatores.* Pinguis eſt illa terra, mollis, adſtringens, rubricæ aliquando non diſſimilis, niſi quod manus contrectantium non inficit. Memorabile verò eſt, non modò ex hac terrâ ſeu argillâ, ſpecioſiſſima elaborari vaſa; ſed eſſe quoque eius vſum in Medicinâ commendatum; quippe

& adſtringens eſt, quod ex adhæſu ad linguam probatur; vnde vſurpatur ſiſtendis profluviis, ac potiſſimùm ſanguinis: & vim alexipharmacam habet; vnde adverſus ſerpentum morſus aliaq́; venena, eſt vſui: eoq́; nomine etiam vaſa ex eâ confecta, precioſa habentur. Cæterùm P. Belonus Obſerv. lib. 22. proponit typos terræ ſigillatæ imprimi ſolitos, hac forma.



Hirtia Seſoſtris Aegyptioru̅ regis filia.



Seſoſtris pater eſt Aegypti ſceptra habitur,
Is Colchos bello deprimet atq; Getas.

HIRTIA

HErodotus *lib.* 2. Seſoſtri inter Reges Ægypti primas defert; qui multas nationes debellavit, & ſubactarum trophæa variis in locis poſuit, ex quibus ſe multa vidiſſe ipſe teſtatur. Seſoſtrim autē eximia belli facinora ſuaſu & conſilio Hirtiæ filiæ ſuſcepiſſe aiunt. Erat enim mulier illa fatidica Serapidis miniſterio dicata, cuius afflatu plurima prædicere credebatur. Hæc patri ſuaſit vt Colchis bellum inferret, certam enim victoriam à Diis promitti: id fœlix eventus brevi comprobavit; expugnatis enim vrbibus, tota ſe provincia eius poteſtati permiſit. Iterùm author fuit Seſoſtri, vt Mæridi tum Ægypti regi potentiſſimo bellum inferret, propicios Deos victoriam ſpondere. Illum Seſoſtris invaſit & ſuperavit; præfuitq; Ægypto ſumma fælicitate. Is fuit qui templa magnificentiſſima per totam Ægyptum maximis ſumptibus ædificari curavit; in quibus fuit illud Alexandrinum Serapidis, de quo diximus in Serapide.

FINIS.

INDEX NOMINVM ET RERVM.

A

ACroſtichis Sibyllæ Erythrææ pag. 207
Ægyptiorum ſuperſtitio 63
Ægyptia Sibylla 222
Agelaſti fiebant qui deſcendebant in antrum Trophonij 49
Agenora Silentij Dea 138
Alectriomantia 162
Alexander M. credi voluit filius Iovis Hammonis 37
Alexander Severus 155
Amphiaraüs 102
Amuleta 114
Andromache 125
Anubis 62.63
Apis bos, Idolum Ægyptiorum 57
Apollo Pythius 40. author Medicinæ & Muſicæ 42
Apollonius Tyanæus 148
Arbores vocales 32.33
Argonautæ 98
Ariſtodemus filiam interficit, & ſemetipſum 22
Aruns vates Hetruſcus 107
Aſcletarionis, de Domitiani cæde vaticinium 5
Aſtrologiæ vanitas 8.117
Aſtronomorum prædictiones 7
Aſylas 116
Aſylum 73
Augures & auguria 107.114
Augurum vanitas 16.17.18.117
Avium voces à Magis intellectæ 105.122.152

B

Bacchus 35
Boiſſardus 24
Bos paret Pythagoræ 133
Branchus 53
Brennus 45

C

Cambyſis mors 60
Canes culti Ægyptiis 63
Caſtoris & Pollucis phantaſmata 12
Caphareus ſcopulus 125
Capnomantia 85.86
Capitolium vnde dictum 120
Caracalla 155
Carmenta & Carmentalia 234
Caſſandra 237
Chalchas vates 21
Cham, dictus Iupiter Hammon 38
Chiromantia 124
Cholchica expeditio 97
Chriſtus Dæmones compeſcuit 28
Colophonia Lampuſia 225
Colophonem addere 47

Columbæ vocales 33
C. Cornelij mira prædictio 12
Cortina 43
Crepitacula Dodonæa 33
Crœſus deluditur ab oraculo Delphico 10. 15
Crotona 137
Cumæa Sibylla 200. *eiuſdem ſpelunca* 201
Cuma vrbs 200
Cumana Sibylla 212
Cyclopes 80
Cyro prædictum imperium 10

D

Dæmones mendaces 16. *Homicidæ* 21. 44
Dæmonum cognitio 8. 9. 10. 11
maleficia 14. *Subtilitas* 11
Experientia 13
Damis Apollonij comes 149. 152
Delphica Sibylla 197
Delphicum templum 42. 45. 46
Delus 40
Divinatio multiplex 1. 4. 6. 7
Divini 1
Dodonæus Iupiter 32
Dodonæum oraculum 33
Domitiani cædes prædicta 154
Duumviri ſacrorum 168

E

Echemuthia Pythagorica 137
Enthuſiaſtæ 20
Epirotica Sibylla 220
Equus ligneus Trojanus 127. 130
Eriphyle 105
Extiſpices 108
Erythræa Sibylla 206

F

A Fabis abſtinere 141
Femur aureum Pythagoræ 133
Fons Hammonis 36
Futurorum præcognitio 6

G

Genij 134. *Geniorum mors* 26
Germanici mors 60
Goetia 161
Grandinis avertendæ ratio 113

H

Hammon Iupiter 36
Hannibal deluſus ab oraculo 60
Harpocrates, Silentij Deus 138
Helenus 124
Helleſpontica Sibylla 214
Hermaphroditus 84
Hermes Triſmegiſtus 75
Heroës pro Diis culti 19
Hetruſci 113
Hirtia 249

I

Iamblicus 157
Iaſon 98
Idmon 97
Idololatriæ origo 19
Ioſephus cultus Ægyptiis ſub nomine Serapidis 56
Iſis 61
Iulianus apoſtata 158
Iupiter, vnde dictus 31. *Is fuit Cham*

Cham 35. *Dodonæus* 32. *Hammon* 36

L

Libyca Sibylla 195
Lituus 108
Loxias, Apollo dictus 16
Lyræ inventrix 210

M

Magi Mathematici dicti, Roma pulſi 18. *Saxo Tarpeio dejecti Ib. eorum voces barbaræ* 161
Magia naturalis 161
Manto 228
Mardonius dux Perſarum 103
Medea 98
Medicinæ author Apollo 41
Memnonis ſtatua 58
Mephis graveolentiæ Dea 244
Mercurius Triſmegiſtus 75
Metempſycoſis Pythagorica 135
Miracula Pythagoræ 133. *Apollonij* 150
Mopſus 90

N

Navis Argo cur loquax 99
Necromantia 86.161
Nero deluſus ab oraculo Delphico 45
Nervæ mors prædicta 154
Nilus 61
Numa Pompilius 138

O

Olenus Calenus 120
Oraculorum origo 19.20
fallaciæ & ambages 15.16
Deſcripſio 20
Oſcines 107
Oſiris 56

P

Palici 71. *Palice vrbs* 73
Panis Magni mors 26
Paſiphaë 237
Perſica Sibylla 191
Peſtilentia à Mago excitata, & ſedata 14
Philo, pater Triſmegiſti 75
Phrygia Sibylla 216
Pimander Triſmegiſti 77
Polyphemus ab Vlyſſe excæcatus 80
Polyxo 243
Porphyrius 157
Præpetes aves 107
Priamus 124
Proteus 65
Prylis 130
Puer triceps 153
Pullarij 108. *Pullorum tripudium ibid.*
Pyromantia 85
Pyrrhus oraculo deluſus 15
Pythagoras 133. *Pythagorici omnes, Magi* 157
Python 40. *Pythia* 44
Pythici ludi 41

Q

Quercus vocales 32

S

Sacri Scriptores 4
Samia Sibylla 210
Serapis 56
Serpens fatidica 62
Seſoſtris Rex Ægypti 250
Sibyllæ vnde dictæ 167

Sibyllini libri 168.169
Sideromantia 116
Sigalion ſilentij ſtatua 62
Sigillata terra 244.245
Spurinna 145
Statuæ ſubdiales 36

T

Tages 112
Telemus 80
Templum 108
Theagenes, prædixit Auguſto imperium 5
Themis 231
Themiſtocles 131
Theurgia 161
Thraſyllus Aſtrologus 5
Thyodamas 122
Tiberius prædicit Galbæ imperiũ 5
Tiburtina Sibylla 218
Tireſias 21.84
Titi mors prædicta 154
Traſyllus 5
Trinitatis myſterium à Triſmegiſto agnitum 75
Tripus 43
Trophonius 49
Typho 57
Tyri deſtructio prædicta 9

V

Vellus aureum 88.97
Ventorum cohibendi ratio 113
Virgilij Egloga quarta 202
Vituli aurei idololatria vnde 58

X

Xerxes 130

FINIS.

Collated complete
MWS

TA-1

Lisa & Leonard Baskin

Oracles
[illegible]

G

150

1853